



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---


This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>













715.d.25-



G. 45.

TRACTATUS MORALIS  
DE

Naturali Pudore & dignitate ho-  
minis in quo agitur,

DE

I N C E S T U;

Scortatione, Voto Cælibatus, Conjugio, Adulterio,  
Polygamia & Divortiis, &c:

A U C T O R E

L. V. VELTHUYSEN.

ULTRAJECTINO.



TRAJECTI ad RHENUM.

Ex officinâ Typographicâ RUDOLPHI à ZYLL.

ANNO clb Id c LXXVI.



6 R i

P R Æ F A T I O  
A D  
L E C T O R E M.

**C**um controversia de pudore & dignitate naturali hominis mihi semper visa fuerit obscura & difficilis, parumque industriam doctorum virorum in ea versatam, operæ pretium me facturum putavi, si incumberem, hisce tenebris prælacendo facem, rem hanc magis in aperto ponere: Cum jam ibi essem; & ut res mihi felicius cederet, auctores, pro mea consuetudine, consularem, ut eorum lucubrationibus mihi aliquot pararem præsidia, admiratio me tenuit, quod in re, tam digna illorum facultate, tam parum laboris posuerint; illamque ferme totam desertam reliquerint. Jurisconsulti præter pœnas, quibus flagitia, contra pudorem & dignitatem naturalem hominis commissa, vindicanda arbitrantur, reliqua, idque suo jure, cum eorum studium aliis circumscribatur finibus, taciti prætereunt. Theologi, qui id omne suæ disciplinæ subjectum putant, quo conscientia informari debeat, tam tenuiter & perfunctoriè eam tractant, ut, Beza excepto, qui de polygamia & divortii dissertationem scripsit; sed modo, qui apposi-

\* 2

P R Æ F A T I O

positus ad ætatem & ingenium illorum hominum qui tunc studia colebant, multum ad huc loci reliquerit industriæ aliorum, in eorum scriptis nihil ferme compareat, propter quod magnopere eo nomine commendanda sint. A Philosophis parum, aut nihil hic præstitum: cujus ego causam esse suspicor; quod arbitrati sint hanc rem non ad veritatem sed opinione tantum hominibus persuaderi posse; ideoque maluerunt nullam ejus partem attingere, quam conjecturis, Philosopho indignis, certare. At mihi, post hanc rem multum à me agitatam, alia nata est sententia, qua mihi persuadeo, omnia officia vitæ, quæ continentur præcepto septimo decalogi; & quæ puto ducei oportere à pudore & dignitate naturali hominis, probari & confirmari posse ex principiis & fundamentis tam bene fundatis, ut ea moveri aut convelli non possint: utrum temerè an verè hæc à me dicantur, vestrum lector, judicium, vestra estimatio valebit. Aggressus autem sum hanc controversiam illustrare, non oblectandi otii, & experiundi causa, quid in hac obscura re possem; sed ut magis me munirem adversus capitales quosdam errores; qui hæc tempestate se satis latè disseminant; fidemque apud multos inveniunt;

&

& quibus omnis moralitas ab hominum actionibus tollitur. Horum errorum expugnationem varii vario modo instituunt; sed existimò illam tutissimam esse, quâ laboratur in adstruenda Scripturæ sacræ auctoritate atq; divinitate; quâ stabilitâ, cadunt præcipua eorum argumenta, quibus conantur adstruere omnes res humanas fatali necessitate ferri. At inter multa argumenta, quibus Scripturæ auctoritas, & Christianæ religionis veritas probatur, mihi facile illud princeps videtur, quod sumitur à sacrosanctis conjugii legibus, quas Christus & Apostoli tradiderunt, & ad quarum præscriptum illud inter Christianos celebratur. Videt hoc Clarissimus Grötius; & in suo de veritate Christianæ religionis libro illud profert in medium & illustrat: & agnosco me magnopere confirmari in religione quam profiteor, cum video viros nostrorū sacrorum auctores & duces, nullis disciplinis imbutos, & vi ventis in medio hominū, quorum vitæ institutum longissime aberat ab illis sacris legibus, quas Christiana religio sanxit, tradidisse tam casta & pudica præcepta conjugii, quæ nullâ Philosophorū disciplinâ comprehensa, nullis vel politicissimarum gentium moribus expressa, tamen principiis, ex quibus excitatur doctrina

P R Æ F A T I O

de pudore & dignitate naturali tam egregiè congruunt; ut eo nomine fidè faciant & se probos esse, & à Deo (omnium hominum consensu sancto) doctrinam suam hausisse; simulque gentes convincerint, eas religiones, indignas hominibus, utpote quibus ratio imperare debeat, coluisse, cum non tantum illæ non potuerint adferre interitum fœdis illis vitiis, quæ contra pudicitiam committuntur, sed ne jufferint quidem leges contra illa ferri; imo potius illis jus & sanctitatem conciliarint, adsciscentes scortationem in partem sui cultus, & mereticios quæstus Deo addicentes. Non itaq; arbitror me inanem laborem suscepisse, si ostenderim, illas conjugii pudicas leges, non hominum opinione & arbitrio susceptas, aut temere natas, sed à sanctissimis naturæ principiis profectas; eademque opera probarim, Mosem Vatem divinum fuisse, qui conjugii leges enarrans; illarum meminit, quæ non solum rectæ rationi conformes comperiuntur, quando homines ad eas attendunt, seque colligunt & ad se revocant: sed quarum vi ita imbuta & informata est natura, ut à principio conditi mundi usque ad extremum, quasi in seminibus suis integræ conservatæ sint; semperque inter gentes barbaras quædam leges

A D L E C T O R E M.

leges viguerint, quibus illæ paruerunt, forte potius naturæ instinctu, quam quod ratio illa officia moderata sit. Et Videre licet, quanta vis atque sententia verborum sit, quibus Moses narrat Adamum usum ad conspectum Evæ. Hac deum vice adest os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, hæc vocabitur vira, eo quod hæc ex viro desumpta est: idcirco derelicturus est vir patrem suum & matrem suam, & ad hærebit uxori suæ; eruntque in carnem unam: quibus Theologi rectè docent leges conjugales comprehendere; & quibus gentes etiam obtemperarent sua sponte, si libidine rationem & rectas naturæ permotiones non corrupissent: quæ excitatæ & integritati suæ restitutæ per sacram Scripturam, docent in illis legibus sanctitatem & pudicitiam esse. Si hujus doctrinæ de pudore & pudicitia à nobis non nihil illustratæ inter alios usus sit, ut Scripturæ auctoritas & Christianæ religionis veritas eâ muniatur, arbitror me per hunc tractatum honesto & utili labore defunctum: quem quandoquidem mihi præcipuè proposuerim, spero me nemini offensum invisumque fore, si fortè quædam occurrant, quibus non congruant aliorum sensus & doctrinæ, aut quæ etiam quibusdam à veritate aliena

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

aliena videbuntur; cum culpa, quæ à veritatis studio manat, potius ad laudem sit convertenda quam vitio danda; & magnopere sit damnanda eorum perversitas, quí maledictis insectantur eos, à quibus de veritate dissentiunt. Non hæc à mēdicuntur, quasi, mihi conscius alicujus dogmatis minus probati, aliquid vitii portaret hæc purgatio: sed seculi perversitas hanc sollicitudinem nobis imposuit; qua videmus imperitiores, & ingenio aut eruditione minus valentes Censuram auctoritatem temere sibi tribuere: quo quidem sicut nihil est proclivius: facilis enim cuiusvis est rigidi censura cachinni, ita etiam nihil iniquius, eos, quí cum reliquis pariter juris sunt; & sæpe eruditione inferiores, in proximum id juris usurpare, ut eos velint jubere sapere ex suo jecore: aut maledictis atque calumniis deterrendo, illos retrahere à studio, & transdere in otium: quique aliter vix haberent quod dicerent, nisi maledicerent. Utcunque ceciderit casus, nitar conscientiam rectam, quam mihi probe constat, me tantum hoc opusculo studuisse publico servire, & partem disciplinæ moralis neglectam, incultam, & frondibus atque virgultis interclusam, excolere.

DE



D E  
P U D O R E  
E T  
D I G N I T A T E

Naturali hominis.



Affectus pudoris tam late manat seseque diffundit, ut nulli homines reperiantur, ad quos ille non pertineat; quique cum in se aliquando non experiantur. Et quamvis fortasse nonnulli reperiantur, qui ita sunt exhausti pudoris; ut nulla tangantur verecundia: non tamen sese confirmavit in iis istæ impudentia, nisi postquam sæpius represserint honestam pudoris emotionem; & ita quidem non semper expertes fuere pudoris sensus. In infantibus multi quidem affectus sese produnt, antequam pudor in iis sese manifestet; prodeuntibus tamen annis, etiam ille affectus in iis conspicitur. Et si recte rem expendamus, reperiemus in iis pudorem non prius sese exserere, quam postquam mens eorum informata est aliquo simulachro cognitionis suæ dignitatis & ordinis, quem inter creaturas obtinent; & ideo ille pudoris affectus tardius sui dat indicia; & necesse est in iis expectare progressum aliquem annorum, donec per incrementa ætatis enata sit feminibus ratio. Et quia brutis nulla est insita cognitio dignitatis suæ, quam nullam habent; quemadmodum nec cognitionem pulchritudinis, nec proportionum, nec etiam harmoniam ex inter-

A

vallis

vallis sonorum cognoscere possunt, ideo nullus brutis pudorem attribuit. Pudor itaque tantum in iis se manifestat, qui conscii suæ dignitatis & æstimationis, quam tueri debent, censent, aut suspicantur in se aliquid hæere imperfectionis, vitii, aut culpæ, propter quæ tacitas hominum cogitationes extimescunt, & quibus viliores contemptioresque Habeantur; & dignitatis suæ aliquid detrahatur. Nec existimo alicujus animum pudore tactum iri, qui versans in ignoratione Dei, angelorum, & hominum, se solum & unigenum esse arbitretur. At ubi hominis anima cognitione Dei, & aliarum creaturarum, ratione præditarum, informatur, judicat illarum rationalium naturarum de se posse esse judicium, & se pluris vel minoris posse ab illis æstimari: & simul ac intelligit magni sua interesse, qua censatione ipsum dignentur, tunc pudori locus est. Et quia homini à natura insitum est, tam contemptum à se amoliri, quam damnum & noxam, quibus corpus læditur, ideo ubi metus est contemptus & vituperationis, ubi pudor in subsidium adest, qui à natura homini tuendæ ac conservandæ dignitatis & existimationis suæ custos datus est; quemadmodum Deus homini alias passiones largitus est ad tutelam: metus enim infamie reprimat animum, ne procaciter, inordinate, aut turpiter quid per agat. Et quo aliquis timidior est contra obrectationes & convitia, quibus parum æqui rerum arbitri æstimationem suam quam maximè imminui existimant, in iis eo magis affectus pudoris temerè etiam dominatur. At enimvero studium conservandæ dignitatis, maximè versatur in studio conservandi decori naturalis (quod pudor precipue complectitur) est enim illud nihil aliud, quam id, quod est consentaneum hominis excellentiæ in eo, in quo ejus natura à reliquis animantibus differt. Sunt itaque pudoris magni usus & utilitatis in vita humana: Est omnis honestatis fundamentum.

damentum; absq; illo nullus modestiæ, decoro, & pudicitia locus esset: ita ut ubi ille exulat, omnia vitia, numeratis virtutibus opposita, catervatim hominis societatem invadunt, ubi pudor bene excolitur illinc omnis barbaries faceffit. In pudore manifestatur metus ille, quo veremur aliquid committere, quod nostrum statum imminuat, facit ut sollicitè incumbamus in ea omnia, quibus contemptus, qui merito nobis oriri posset ex statu corporis nostri animalis, (quid per hoc intelligam in sequentibus exponetur) amoveatur: & ideo omnes functiones vitæ nostræ animalis, quæ humiles & abjectæ sunt, modis omnibus aut decorè tegere, aut illis aliquid decus addere laboramus. Tollit superbiam & audaciam, qua homines, qui pudoris fibula non coërentur, se omni vitio corrumpendos tradunt: facit nos modicè sentire de nobis ipsis, Deum & homines vereri: virtutes sectari, quibus non solum tutamur nostram dignitatem, sed quibus illam extollimus & augemus. At ex adverso, impudentia, præterquam quod semper erroris & arrogantia sociæ & comes sit, tollit reverentiam, quam Deo atque hominibus debemus: utilem illam, imo pernecessariam sui cognitionem, obnubilat, sanctitatis studium extinguit, & facit ne satis æstimeamus Dei sanctitatem & justitiam, nec aliorum hominum dignitatem & gravitatem: veræ laudis œmulationem ex hominum animis ejicit, &c:

Et hæc quidem de pudore generatim dicenda habui. Nunc, ut mihi aditum faciam ad illum pudorem, qui ex factis turpibus; inhonestis & probrosis oritur, & in quibus speciatim hic labor occupabitur, notandum est, affectum pudoris oriri quidem semper ex facto aliquo, quo putamus nos aliquem nobis contemptum posse accersere; potest tamen rectè pudoris partitio institui à diversitate causarum proximarum, quæ pudorem efficiunt. Alia est causa pudendi, quando

aliquid committitur, quod sua natura peccatum est, & vitium suum mutuatur, non inde, quod proprie aliquid perpetratum sit contra pudorem, sed quia peccatum commissum est contra leges justitię & charitatis: quod peccatum tum pudor sequitur; atque ita tunc peccatum non est perpetratum contra pudorem. Alia est causa pudendi, quando quidē non aliquid committitur quod in se malum est, sed quia aliquid fit, in quo non parcity nostro, nec proximi pudori; & in eo neglectu formalis ratio istius peccati consistit; ita ut extra illum neglectum, aliud vitium in illo actu assignari non possit. Et ideo hujusmodi facta singulari ratione dicuntur commissa contra pudorem: & cum officium pudendi à talibus factis abest, tunc cessant esse peccata: cum aliorum peccatorum ratio ex alio principio ducatur. Tertia causa pudendi, & que à priori non longerecedit, est, quando peccamus contra nostram dignitatem, sive naturalem, sive acquisitam: quę causa quidem arctē cum priori connexa est, observata tamen ejus distinctio, usus suos præbebit in progressu hujus tractatus. Ita incestus & pudendorum revelationem dicerem esse pudori adversa; scortationem autem, polygamiam, & repudia vocarem facta, quibus homines desciscunt à sua dignitate naturali: ita ut formalis istorum actuum ratio non consistat in neglectu pudoris, sed in declinatione à statu dignitatis nostrę naturalis. Primam causa pudoris hic tacitam prætermitemus, quia illa nihil pertinet ad illa, quę in hoc opusculo explanare constituimus. In excutiendis reliquis duabus versabitur opera nostra.

Quemadmodum omnibus omnium passionum emotionibus præsidere debet ratio, ita illa etiam pudori modum ponere debet, & esse illius moderator & arbitrer. Affectum illum homini conciliavit Deus ad custodiam suę dignitatis; sed

sed rationis est præscribere de quibus rebus erubescendum sit. Pudore suffundi de re bona & honesta, & quæ nullum vitium, aut argumentum infirmitatis continet, tam rationi dissentaneum est, quam expavescere & terrefieri propter rem, quæ lædere nos non potest; talem pudorem vulgus pudorem rusticum appellat, qui præcipue se prodit in illis hominibus, qui usu rerum distituti, res & pericula à quibus læsionem æstimationis suæ proficisci posse existimant, non norunt satis expendere, atque ita præter causam perpetuo pudore inquietantur: quemadmodum meticulosus & ad pericula inexpertus miles ubique in bello mortis casus esse putat. Non ibimus per singula, quibus justa pudendi causa subest: tam late enim illa res sese diffundit, ut bonam partem disciplinæ moralis complectatur: sed, ut diximus, ea tantum ad examen vocabimus, in quibus pudor & pudicitia proprie occupata sunt. Hæc de pudore rustico & vitioso dicta sufficiant, ad insinuandum à simplici pudoris affectu argumenta peti non posse, quid homini conveniat, aut ab eo alienum sit, sed huiusmodi aversiones à pudore & verecundia natas, quamvis à natura ortum habere videantur, ad rationis trutinam esse appendendas: & affectum pudoris sua sponte non judicari utrum legitimus an culpandus sit.

Et quandoquidem non constitui in præsentia ortum juris & moralitatis à fonte, aut stirpe repetere, neque contexere disciplinam moralem: ideo postulo quædam mihi dari & concedi, quæ quia per se nota non sunt, aliis ad fidem persuadere non possum, nisi à primis primordiis res inchoetur, quod jam ab instituto nostro alienum est.

Ponam itaque hominem marem & foeminam à Deo in principio creatum; integrum quidem, & à peccati labe purum, & egregiis dotibus instructum & ornatum, non tamen

tam excellentibus ; ut ad majora adspirare non potuerit. Apostolus Paulus, *1 Cor.* 15. tradit eundem hominem corporis animalis & spiritualis, terrestis & cœlestis posse successivè esse participem. Adamum primum corpus animale habuisse, sanctos in cœlum translatos, spirituali & cœlesti corpore induendos. Additque eodem capite, gloriam cœlestem tam illustrem fore, ut corpus animale non sit aptum & habile fruendæ isti voluptati, & ideo carnem & sanguinem hæreditatis cœlestis non posse esse cōsortes: fuit itaque aliquid in Adami corpore, vile, & quod minus erat honestum: voco minus honestum, eo sensu, quo Apostolus Paulus, quædam membra corporis minus honesta vocat, *1 Cor.* 12. 23. Itaque per vile, & minus honestum, non intelligimus aliquid vitiosum & probrosum; in quo Adamo erat erubescendum: nullo modo, cum, quia illud minus honestum, statui in quo erat constitutus à Deo, erat conveniens, & necessariò cum corpore terrestri & animali conjunctum; & cujus Deus ipse erat auctor; tum etiam, quia videbat & intelligebat se ideo non minoris fieri à proximo: sed quia. Illa humilitas, quæ primis parentibus aderat, propter illud terrestre & animale, ita absorbebatur à justitia illa originali, & insignibus animæ dotibus, ut illud humile disparet, atque ita Adamus oculorum & mentis acie sese intuens, animus ejus non everberabatur ullo pudore; neq; verebatur, ne propterea veniret in hominum vituperationem, si illa humilia & minus honesta corporis sui animalis exponerentur hominum oculis & judicio. Eadem plane ratione, quæ multæ actiones viles, & minus honestæ, quæ sequuntur hominis statum, à viris sine vitio impudentiæ exercentur in propatulo, aut minus clam, quæ, si à fœminis ederentur, aut si illæ in hisce ad virorum exemplum sese componerent, insigniter contra honesti leges peccarent, & à decoro defice-

deficerent. In quam multis rebus viri, etiã urbanioris notæ, sibi rectè indulgent, quæ malè à foeminis usurparentur: & quam longè divergunt in viro leges modestiæ, pudoris, atque pudicitia in victus consuetudine, in edendo, bibendo, in explendis naturæ necessariis, & præsertim in iis, quæ venerationem & capulam spectant, ab iis legibus, quibus honesta virgo informatur: quæ cujusmodi sunt, nunc singulatim non recensero, cum lector hæc facile mente complecti possit. Excellentes itaque dotes, quibus Adamus erat ornatus in statu integritatis, ita illum extollebant, ut illæ res, & operationes, quibus perfungi debebat Adamus, quamdiu compagibus istius animalis & naturalis corporis tenebatur, vacarent contemptu, neque deformem aut turpem haberent aspectum: viles autem illæ res, & actiones corporis animalis, quamquam non pares gradu, sunt appetitus edendi; bibendi, coeundi, & organa iis functionibus destinata, quæ, quam vilia sunt, liquet, quod multa eorum, ne nominare quidem sustinemus, & si usus postulat, honor præfandus est, & ambitu verborum uti malumus, iisque vocibus, quæ quam minime insinuant menti vilitatem eorum, quam illa suis vocare nominibus: multa etiã eorum clam & sine teste facimus; aliis quia omni dignitate carent, addere dignitatem studemus honestis & decoris moribus, & ita eorum vilitatē minuere. Suntque adhuc inter homines, jam peccati labe infectos, adeo humilia & abjecta putata, ut nemo honestus iis aliter defungi velit, quã quatenus naturæ legibus & necessitati in iis parere necesse habeat. Et cum votis expetere liceat acre ingenium, firmam memoriam, robur & agilitatem corporis, sermonem venustum, incessum gravem & compositum, turpe & probrosum habetur, votis complecti facultatem multum edendi & bibendi, & strenue exercendæ veneris: & nullus in potiundis illis rebus gloria aut prædicatione sese efferat, nisi

qui pudorem eiuraverit, & probra in suam laudem velit  
vertere.

His itaque docemur, functiones, quæ à corporis statu ani-  
mali & terrestri emanant, reapse esse viles, sed de quibus  
Adam non erubescibat, quia meritò in iis nihil esse suspi-  
cabatur, quo alicujus probri notam subiret. Et quia simul  
Deus, & omnes creaturæ illi erant amicæ, nullo metu noxæ  
aut damni, aut faciendi aliquid contra pudorem tenebatur ;  
atque ita non erat, quod selectum inter bonum & malum  
faceret, cum notio mali illum planè fugerit ; & eo sensu re-  
cte de primis nostris parentibus, cum adhuc essent illibati &  
integri à peccato, prædicatur, eos bonum & malum non sci-  
visse. Nam hujusmodi bonum, de quo nunc sermo est, non  
cognoscitur, nisi per suum oppositum. Cum me fugit, quid  
sit impudentia, aut illud malum, quo æstimatio mea immi-  
nui possit, nullam possum habere ideam pudoris & decori,  
sub notione pudoris & decori : & cum ignoro, quid me læ-  
dere possit, non possum habere ideam boni, ut oppositum  
malo. Et quandoquidem hujusmodi rerum cognitione sub  
idea boni & mali (modo jam dicto) Adami mens non erat  
imbuta, nullus etiam locus supererat legibus, quæ Adami  
actiones regerent, ut bonum operaretur & malum fugeret.  
Adamus non sub notione boni, æqui, & honesti, & ut hæc  
malo iniquo & inhonesto opposita sunt, cognoscebat, & se-  
ctabatur virtutem, sed sequens sanctæ naturæ suæ institutū,  
& eò pergens, quo illa sancta natura eum ducebat, virtutem  
colebat. Censentne Doctores, Adamo integro opus fuisse  
prudentiâ, cautione, & circum spectatione, ne furaretur, men-  
tiretur, libidinetur, & ne falsos vereretur Deos? Illene  
de iis sollicitus esset, qui ne quidem ullam ideam vitii habe-  
bat. Illene sub castitatis & honestatis specie & idea, & ut op-  
posita impudicitiz, sectabatur pudicitiam in persfruenda le-  
giti-



gitimè uxore , & fugiebat illius usum non legitimum , cum nunquam in statu integro , ne cognitione quidem Adamo innotuerit usus mulieris vitiosus. Non magis quam homini simplici & antiquæ fidei cognitæ sunt frustrationes & veteratoriæ artes malorum patronorum causarum , quibus longo litis sufflamine negotium protelent. Qui cum candore jus suum persequitur , quia ita est formatus à natura & virtute , animum non solum ab hujusmodi vitiis intactum habet , sed & mentem earum cognitione vacuum : & virtute duce rectâ viâ incedit , & non quod selectum inter bonum & malum fecerit ; nec bonum sequitur , ut vitet malum , sed quia virtus eò aurigatur. Nec puto quemquam istum virum ideo minoris æstimaturum , quia sine lucta cum vitio opposito (quod ignorat nec fugere cogitat) sequens vim virtutis , quam sacra scriptura appositè legem vocat , virtuti paret. Dominus Jesus Christus ad hanc Adami simplicitatem digitum intendere videtur , cum docet eos tantum regno cælorum idoneos esse , qui pueris , moribus , & animi habitu similes sunt ; qui præsentibus suis bonis gaudentes & lætantes , & desideria sua parvo ambitu finientes , nesciunt quid sit avaritia , libido , superbia , emulatio , invidentia , &c. sed naturam duccem sequentes , quæ in ea ætate pauca requirit , non tantum supra memoratis vitiis carent , sed ne ullo quidem earum sensu tanguntur , quia illas ignorant : ut etiam virtutes iis vitiis oppositas , ut tales , & sub ea forma atque ratione : quia eorum vita in illo infantili statu hujusmodi virtutum præsiidiis non indiget.

Postquam autem peccatum Adamum infecit vitio , eumque privavit sua gloria & decore *Rom. 3.* oculi mentis fueret reclusi , & illico aliam sensit legem oppositam legi mentis suæ ; & ita suo damno scientiam boni & mali acquisi-

B

vit

vit. Nam lex peccati, per primam transgressionem mentem hominis occupans, cum transversum egit, & illi totam naturam, quam prius obsequentem habebat, vertit in occasionem peccandi. Sed de eo plura dicere superfedebat, ea excutiens, quæ proprius ad institutum faciunt. Adamus itaque per peccatum gloria Dei & excellentibus donis privatus, erubuit in sua nuditate: quia illa organorum generationi dedicatorum abjecta natura, non amplius tecta & obumbrata gloriâ justitiæ originalis, se statim ita prodebat, ut meritò pudore suffunderetur: intelligens se non amplius vindicari à vituperatione per excellentes, quas in statu integritatis possedebat dotes, sed meritò se pati in animis hominum aestimationis suæ imminutionem, quando oculos exponit nuditatem suam; & ita hominis mentem percellit turpi illo aspectu. Et non potuit Adam non se pudere suæ nuditatis; judicabat enim Evam rationis potentem, & aptam ad judicandum de turpitudine sua: Nam quemadmodum non peccatur contra pudorem, si quis secretò, & loco seducto, aut obductâ nocte se nudet, ita etiam illum ab eo vitio abesse puto, qui coram infante rationis experte, aperta, & detecta gerat genitalia: quia in infante tenello non potest intuitiione illarum partium nasci cogitatio de abjecto nostro statu. Errant itaque, qui putant Adamum & Evam instar infantium fuisse ad cognitionem & scientiam quod attinet: nam si se invicem Adam & Eva pro infantibus censuissent, non erat causâ quare tam anxie se tegerent.

Alii causam hujus pudoris aliò referunt: nempe, quod Adamo intuente partes genitales obrepserit cogitatio actuum venereorum, tam parum rationi parentium, & qui totum hominem ita rapiunt ad sensum & perceptionem istius voluptatis, ut videatur exuisse quicquid est hominis,

minis, & sese immerfisse in id, quod non solum nobis cum brutis est commune, sed quod ratione regi aut gubernari non possit. Ego equidem non abnao in coitu ea se prodere, quæ inter functiones corporis terrestris, & animalis sunt abjectissima; & quæ maximè complectuntur argumenta humilis nostræ conditionis: & in quibus vilitas & turpitudine actionis bonis & severis moribus tegi & imminui potest. Cum ex adverso, actiones in edendo & bibendo, &c. hominem non ita totos occupent, quin illas actiones ratione regere possit, & in iis ostendere se suæ dignitatis rationem habere, atque in iis versari cum (ut ita dicam) gravitate; impartiens illis actionibus aliquid honesti & decori, quod à rationali natura mutuatur; & ita externis gestibus probos & reconditos animi mores effingens: circa quos gestus, occupata est illa disciplina, quæ præcepta cultiorum morum tradit. Nec à sensu scripturæ aliena dixerim, si contendam hujusmodi actionibus & partibus iis dicatis, aliquod decus cultis illis moribus conciliari. Dicit enim Apostolus nos membris corporis minus honestis per vestimentorum ornatum honorem apponere: Quamquam itaque hæc verissima sint, & procul dubio curam tegendæ nuditatis augeant, proximam tamen & veram causam esse non arbitror: tum quia non esset in promptu iis, qui illam sententiam tuentur, probare, proprietates illas actionis veneræ, quas ita omnem modum excedere putant: quas supra indicavi, & quas illam vilem & abjectam reddere agnosco, non ad futuras fuisse in statu integritatis: videntur enim sequi naturam istius corporis naturalis & animalis. Nam quamvis illæ actiones fiat admodum terrestres & corpori immerse, & longè remotæ ab iis functionibus, quæ hominis dignitatem commendant, non ideo eviceris illas esse vitiosas. Nam cum

& ante lapsum, & in statu corrupto istæ actiones usurpantur in matrimonio legitimo sine peccato ullo: cum illæ homini concessæ sint in remedium scortationis. Quomodo probaverit aliquis, Adamum ideo erubuisse nuditate pudendorum, quia iis in posterum usus non erat sine peccato? Deinde cum multæ aliæ actiones & functiones corporis animalis, atque naturalis, & organa functionibus illis dicata, in quibus suspicari non licet illam vitiositatem, studiosè à moratoribus gentibus occultentur, aut politismoribus ita vestiantur, ut minus despectui sint oppositi, atque ita vitetur cogitatio & iudicium vilitatis istarum actionum & organorum, manifestum inde fit, Adamum non festinasse ad velanda pudenda, quia putabat in coitu semper futurum esse vitium, & quia ipsum pudebat membrorum, quæ iudicabat post lapsum debere esse necessariò instrumenta peccati, sed quia inops & nudus ab ornamentis iustitiæ & sanctitatis, quas ante lapsum possederat, intelligebat actiones venereas propter suam vilitatem eum præcipuè posse rapere in contemptum & vituperationem, quæ quidem turpitudò in aliis corporis partibus non ita reperitur.

Cum itaque Adamus tam justam habuerit causam tegendi pudenda, non potuit sine impudentiæ vitio illa aperta oculis Evæ subicere, & ita suæ dignitatis, quæ post peccatum illi supererat, & quam tueri hominis tantum interest, quanti ejus refert se à proximo æstimari, nullam rationem habere: nam negligere quid quisque de se sentiat non solum arrogantis, sed etiam dissoluti est. Neque ille pudor fuit in Adamo rusticus pudor, natus ex metu contemptus temerè suscepto, aut ex teneritudine, frontis, quæ ad esse solet iis, qui rerum usu carent. Sed ille pudor tam dignus erat statu & usu Adami jam lapsi; quam illi conveniens erat sibi cavere à damno & periculis. Et falluntur, qui docent hominem tantum erubere.

befcere debere in peccatis, & propterea præter peccata nihil eſſe obſcœnum, aut turpe dictu, aut viſu; ideoque putant ſuo quamque nomine rem appellari deberi, nullum inhoneſtum deculpatumque verbum eſſe, imò crepitus ventris æquè liberos atque ructus eſſe volunt. Sic enim diſſerunt, nihil eſt obſcœnum, nihil turpe dictu: nam ſiquid ſit in obſcœnitate flagitium, aut in re eſt, aut in verbis: non in re, quia membra corporis humani à naturæ inſtituto ſunt: non in verbis, quia ſi res ipſa obſcœna non eſt, quomodo verbum, quo illa res appellatur, obſcœna eſſe poteſt? Falluntur inquam hi, qui exiſtimant hominem tantum erubefcendum in peccatis, cum non tam propter peccatum hominem pudet, quam quod peccatum nos apud veros rerum æſtimatores in contemptum adducat: & ideo homines, qui pluſculum ſuas actiones malunt exigere ad hominum, quam ad Dei iudicium, plus erubefcunt in peccatis, quæ humilem & abjectum animum arguunt, qualia ſunt, V: G: mendacium & furtum, quamvis peccata minus gravia ſunt, quam in iis, quæ licet criminofa, & flagitioſa admodum, tamen corruptorum hominum iudicio erectæ indoli, & generoſo animo minus adverſa ſunt, qualia ſunt, ſcortatio, adulterium, privata vindicta, &c. Et cum hominibus inſitum ſit, id extollere & laudibus ferre, cui præcipue navant operam, & in quo decus & gloriam ſectantur; & ex adverſo illam rem vilem ducere, quam non putant conducere ad ſuas rationes, ideo in aulis & inter magnates adulterium & ſcortatio pro ludo habetur, & caſtum dici non multum laudis in iis habet: vindicta & monomachia in laude ponitur: quia fortitudo præcipuè apud eos in dignitate eſt, & ita ſe comparant, quaſi iſtius virtutis colendæ gratia ſe tantum natos arbitrarentur, & ideo furtum & mendacium, aliaquæ vitia, in quibus metus & ignavia inſigniter proditur, maximè à ſe aliena eſſe

volunt. Et quia in omni pudore est metus contemptus & vituperationis: inde etiam fit, quod aulici, & alii, qui fortitudinis famam præcipuè sectantur, etiam in pudoris officii sibi magnoperè indulgeant; in iisque audaces & licentes sint, ut quam longissimè à metu (qui refringit animum, & abjicit) abesse videantur. Sed ut ad partem sermonis, à qua diverteram, revertar, erubescimus, non tam propter vitium, quod est in peccato, quam quia vitium comparatum est ad nobis conciliandum contemptum. Et ut Stoicis & Cynicis respondeam, corpus hominis ex talibus membris & organis compositum est, inter quæ ea reperiuntur, ut propter humilem, & abjectum usum, cui destinata sunt, homo posset venire in vituperationem, si temerè subjicerentur hominum oculis, aut si aliquo decore non cohonestarentur. Qui annuunt dari perfectionum gradus, & diversas esse honesti rationes, ita ut quod uni conveniat, alteri, in celsiori loco constituto, non conveniat, is negare non potest, etiam in rebus ex se non vitiosis, pudoris causam residere posse. Homo per partem sui rationalem in ea dignitate versatur, ut corporis animalis functiones ejus dignitatem in animis hominum imminuere debeant, si consideratoribus gestibus in iis exercendis non utamur; & quo animus ab hujusmodi corporis animalis obsequio & indulgentia magis recesserit, eo homo dignitatem suam magis tuetur. Et quemadmodum quædam corporis nostri membra vilia & abjecta sunt, ita illæ voces turpes, inhonestæ, & obscenæ sunt, quæ illas partes corporis viles & abjectas, earumque functiones, menti nudè subjiciunt: sed cuius rem penitus inspicienti, hoc manifestum erit: plura non addam.

Quemadmodum itaque Adamus habuit justam pudendi causam post peccatum perpetratum, & post justitiæ ac  
san-

sanctitatis privationem, ita toti posteritati, quæ ad seculorum finem peccati labe infecta manebit, incumbit eadem necessitas pudenda tegendi, quia eorum status, declinato Adami statui par est. Et quamvis Christus vitio caruerit & ipsis naturæ suæ initiis & totius perfectione vitæ longè abfuerit à causa pudendi, illidem tamen verecundiæ legibus sese subiecit, debuitque etiam tacitas hominum cogitationes extimescere, quia homines, in quorum medio degebat, conscii humilis sui status, naturæ sensu abhorrebant à conspectu talium membrorum. Neque licebit unquam, homines revocare in primam & pristinam illam consuetudinem Adami integri, quamdiu genus humanum primæ suæ dignitati & justitiæ non erit restitutum; qui status fideles manat post hanc vitam, quando hoc corpus animale, infirmum, debile, & ignominiosum per resurrectionem exuet omnes infirmitates corporis animalis & terrestis, & migrabit in naturam corporis cœlestis *1 Cor. 15.* & quia in cœlo iusti erimus, ideo tunc in partibus corporis nullus amplius hærebit pudor.

Pergamus porro & reliqua persequamur. Adamus quidem ad conspectum suæ nuditatis ilico velamen quasi-vit, quo eam tegeter: quia illæ partes tunc turpem habebant aspectum: sed Deus primis parentibus togas iuduit, quæ non tantum pudenda obvelabant, sed maximam partem corporis subducebant oculis inspectantium. Apud me res nullam dubitationem habet, quin Deus hoc fecerit convenienter exactissimis regulis moralitatis & modestiæ: quæ regulæ ad hoc comparatæ sunt, ut homines ad castos, modestos, & graves atque serenos mores efforment, & omnia illa imperent, quibus hominis dignitas extollatur; & omnia amoliantur, quibus æstimatio ejus possit imminui. Multæ autem rationes sunt, quæ imperant

&

& iam multas alias corporis partes tegere, quas omnes recensere hic non attinet: duæ tamen principes sunt, & quæ cum iis, quæ præ manibus habemus, cognatam habent naturam. Prima est, quod corporis conspectus, & præsertim illarum partium corporis, quæ propter relationem ad generationis membra, habent propiorem cum iis cognationem, etiam ideo inserunt animo libidinis fomenta: sed de eo differendi locus erit, quando controversia de scortatione discutietur. Secunda est, quod undique in corpore se prodant corporis animalis atque terrestris de honestamenta, quæ oculis inspectantium subducere debemus veste, & gestibus moratoribus, tum ut parcamus oculis & pudori aliorum, cum etiam ut vestimentorum & morum honestate abducamus hominum cogitationes ab humilitate, & vilitate istarum partium, earumque functionum; & ut ex adverso aliquod decus iis conciliemus. Coitus inter omnes actiones corporis animalis & terrestris, est abjectissimus, sicut supra id fuit indicatum, ideo inter gentes moratiores, ille clam, & remotis arbitris exerceri solet, ita eadem gentes precipuè curæ habent ne partes istum actum juvantes conspectui pateant: porro actiones, quæ vilitate illum coitum proximè sequuntur, quamvis longo intervallo proximè, sunt illæ, quæ intervniunt excernendis excrementis; & ideo in illis omnibus hominum cura versatur, ut quam maximè fieri potest, clam & secreti licentiam nacti istis abjectis actionibus defungantur. Ita etiam edendi & bibendi actiones aliquo decore cohonestare studemus, & eas ita usurpare, ne gulæ stultiosi aut ventri dediti videamur, aut eas voluptates, quas ex usu cibi & potus natura præbet, cupidius appetere: Nam cum hujusmodi functiones corporis animalis natura requirat, & tamen illud corpus vilissima nostri pars sit, etiam contra decorum est, illud corpus ita complecti quasi animâ carc-



careremus, aut in humilibus ejus functionibus sese jactare, aut ostentare, ejusque desideriis parere, quæ sunt infra hominis dignitatem, & ex quibus nullæ sunt ingenuæ oblectationes, & quibus semper quasi inusta est nota vilitatis corporis naturalis. Et ideò illi, qui graviter, severè, & prisciè vitam instituunt, perfunctoriè istis operationibus vacant, & juxta præceptum Apostoli utuntur iis parcè & restrictè, ne abutantur: & tantum abest, ut in potiundis his bonis glorientur, ut potius ingemiscant, quod, donec sunt in his corporis compagibus, iis muneribus perfungi debeant. Et hæc quidem ad rei necessitudinem dicta sufficiant.

Priusquam tamen ad reliqua pergamus, ex usu erit inquirere, quando peccatur contra pudorem in non sollicitè iis tegendis, quæ moratiores gentes instinctu quidem (ut videtur) naturæ, sed tamen ratione duce tegenda arbitrantur? Quousque gentes Barbaræ iis legibus teneantur? Et quale quantumque in iis sit peccatum, præsertim in generibus illis feris, quæ omni disciplina destitute, non videntur sese posse erigere & ex tollere ad componendam vitam juxta moralitatis regulas, quarum ne ullam quidem memoriam acceperunt? Ut autem rectè ordineque procedat sermo, de hoc primum advertendus lector, nos nunc tantum orationem habituros de moribus, & institutis gentium, quæ spectant res, in quibus propriè & speciatim, primò & per se, versatur pudor, & in quibus formalis peccati ratio est neglectus pudoris, non autem de iis sermonem fore, in quibus peccatur contra hominis dignitatem; & quæ quidem ita propè cum præcedentibus connexa sunt, ut parum attendentibus eorum signa distinctionis videantur esse confusa, nihilque interesse; sunt tamen revera distincta, cum in his alia sit peccati ratio quam in aliis: quod quidem in uno eodemque actu observare licet. Si coitus in homi-

C

num

num frequentia & clara luce fiat, peccatur contra pudorem: si clam, decorè, pudenter cum non nupta instituitur, non peccatur contra pudorem, sed contra dignitatem hominis, & presertim mulieris. Sic incestus est contra pudorem, in polygamia, & in libello repudii contra dignitatem peccatur: quæ exempli gratia hic tantum protuli in medium, in sequentibus hæc fusius exponentur.

Porro, quandoquidem peccatorum, quorum formalis ratio, ut supra diximus, est pudoris neglectus, ea est natura, ut omne vitium in iis cesset, quando pudendi causa abest; & quod cæterum pudoris hæc sit natura, ut oriatur ex consideratione contemptus & vituperationis, quam incurere veremur ex iudicio, quod aliis de nobis est formaturus propter aliquid vile & abjectum, quod in nobis est, satis intelligimus nos tum propriè peccatum impudentiæ committere, cum conscii vilitatis nostræ, & simul æstimationis illius, quam proximus de illa vilitate habet, non habemus rationem nostri, illiusque pudoris. Et inde sequitur quando jure non metuimus proximi iudicium, tunc cessare in illis rebus, quando illis utimur, peccati causam & formam; & pudori nullum locum futurum fuisse, si hominis natura ita fuisset instituta, ut solus vitam degeret, & Dei & creaturarum rationalium cognitionis omnino fuisset expertus. Et hæc est causa, quare recte multa non veremur facere in solitudine, aut coram brutis & tenellis infantibus, aut etiam coram stultis & qui mentis desipiunt, quæ in corona hominum, & coram adultis non sine flagitio committeremus. Tota itaque disputatio in hoc jam recumbit, ut investigemus quando impudentiæ peccatum in multis alioquin pudendis, cesset. Ex supra traditis, manifestum est. Primò cessare in omnibus, qui iudicio & ratione destituti sunt, ideo infantes & stulti impudentiæ vitio vacant,

cant, si quædam perpetrent, quæ adultis verterentur pro-  
 bro, Secundò ab impudentiæ vitio liberi sunt, qui occu-  
 pati in defensione & usu sui juris; quædam perpetrant  
 aut patiuntur, quæ moraliter per accidens sequuntur legiti-  
 mum juris sui usum: quem quidem casum alii casum ne-  
 cessitatis vocare solent, sed dubito an satis accuratè. Vir-  
 go excusatur à peccato impudentiæ si vitæ conservandæ  
 causa, vulnus, quod in partibus obscænis hæret, chirurgo  
 conspiciendum & tractandum præbet: at ab eodem vitio  
 non putaretur immunis, si salutem à milite pacta fuisset  
 sub conditione turpi & per prodicionem pudoris. Quæ au-  
 tem est hujus differentiæ causa, cum tamen utrobique sit  
 eadem necessitas? Non alia, quam quod in uno casu ea-  
 dem virgo occupata est in usu sui juris, & ad quem usum,  
 sequitur per accidens moraliter genitalium denudatio, in  
 altero casu illa denudatio non per accidens sequitur, sed  
 directè & verâ causâ morali, nempe pacto. In prion itaque  
 casu cessat impudentia: Tertiò illi impudentiæ vitio va-  
 cant, qui versantur in ignorantia ineluctabili; & illam nec  
 sensu nec ratione cognitam habent, quia carent illis oc-  
 casionibus, quibus pudor quarundam rerum in nostris ani-  
 mus excitatur; & destituti sunt exemplis, & disciplinis,  
 quibus hominum mentes informantur ad moralitatem.  
 Ita quidem puto illum hominem nihil peccaturum in pu-  
 dorem, qui natus & educatus inter gentes, quæ minus à  
 civili more probatæ sunt, quædam agat, quæ nullus inter mo-  
 ratiore gentes degens sine impudentia committeret. Lo-  
 quor de moribus, qui à naturæ instituto ortum suum  
 habent, & quos ars tantum consummavit; non de iis,  
 qui aut singulis gentibus tantum proprii sunt: aut quos  
 homines ex arbitrio suo introduxerunt; & quibus gentes à  
 gentibus discernuntur, quæ pro ingenii diversitate etiam  
 singulæ diversos sectantur: neque de iis nunc sermo est, qui

ad peculiare hominum status & vitæ conditiones respectum habent, in eoque fundati sunt: quos tamen nemo temere neglexerit sine aliquo piaculo, si illi mores ex principis & bene ingeniatis naturæ primordiis efflorescant: sed de iis membratim differere nunc non est locus, quia res abiret in infinitum. Dico itaque illos homines totamque gentem formaliter non peccare contra pudorem, si sua membra suasque actiones non convestiant aliquo decore, quod moratiores gentes sibi comparant ad amolendum contemptum; & cujus illæ gentes non debent habere rationem, si suo pudori non velint deesse. Ratio autem istius sententiæ in promptu est: nempe agrestium illarum gentium ignorantia, ad quam expugnandam carent subsidiis & donis necessariis, in illis est ineluctabilis; & in sua ignorantia versantur, quemadmodum multi rerum divinarum scientia carent, sine socordia, pertinaciæ & hæreseos vitio, quorum vitiorum neminem reum duxeris, qui opportunitates nunquam nactus est ad eas veritates discendas aut acquirendas. An homini agresti & inter agrestes degenti, criminofum est, si in explendis corporis animalis & naturalis muneribus non observet illud honestum & decorum, quod nemo qui in profcænio moratiores hominum comparet neglexerit sine impudentia, aut pudoris læsione, quia honesti & decori præceptis benè imbuti & instituti læderentur illis corporis animalis vilibus functionibus ante os & oculos suos præstitis, & nullo decore vestitis. Tales Agrestes non magis contra pudorem peccare arbitror, quam idiotas socordia, pertinaciæ, hæreseos insimulandos puto, quod quarundam veritatum Theologicarum ignari sunt: quia ille agrestis non minus innoxie ignorat illud honestum, quo illæ actiones vestiri debent; quam idiota aliquem articulum fidei, cu-

jus

ius cognitionis acquirendę opportunitates non habuit; & quem ideo nec pertinaciter rejicere potuit: illum enim ignorans, quomodo cum propugnet aut oppugnet? Neque inertia aut secordiã cognitionis istius honesti expertus est, non magis certe quam idiora illius articuli fidei, de quo nunquam fando audivit. Neque difficile intellectu est, quomodo gentes moratiores potuerunt desciscere ab emendatis suis moribus. Primum, videmus illas gentes pudenda non tegere, quæ nullum bonarum artium cultum habent, & apud quas nullæ artes vigent, sed quæ iis tantum mundi rebus utuntur, quæ paratæ & in promptu sunt: & ideo verisimile est, parentes & fundatores talium gentium delatos in eas terras, quæ nunc à posteris habitantur, inopes fuisse ab iis rebus & artibus, quibus ornamenta vitæ acquiruntur; aut saltem eas artes interiisse, & ad posteritatem non fuisse propagatas; & ita ex necessitate oculis patuisse illas partes corporis, quas alioquin pudor tectas esse jubet; atque ita tandem notam pudoris deletam ex animis talium gentium. Secundò, usus nos docet, quosdam homines adeò esse profligati pudoris, ut nitantur efficere nihil dehonestum probrosumque videri iis, in quorum medio vivunt, & propter quod ipsi in probro sunt. Et multi, præsertim illi qui sunt magnis nati generibus, ruentes in omne nefas, & tamen laborantes à se amoliri contemptum & odium, student efficere, & plusculum illud assequuntur, ut aliquid non amplius turpe & culpandum videatur, quod antea turpitudinis nota laborabat: quos magnatum mores illi, qui sunt de plebe, imitantes, & trahentes ad decus iis vitæ instituto similes esse, evenit gentem totam degenerare à pristina morum sanctitate & simplicitate.

Sed ut sæmel rem totam de principiis innatis pudoris ex-

pediam, nempe omnium ferme semina, à quibus morationes gentes commendantur, quæque honestatis, decoris, modestiæ, &c. nomine veniunt, in ipso reperiri: neque illa tam arte, industria, & ratiocinatione longè petita primuni germinare incipere, quam quidem exemplis ad aliquam frugem excrefcere. Postquam autem sobolefcere ceperunt, rationem tunc illa excolere & perficere; ita quidem ut nisi exemplis excitarentur, nullos communiter fructus proferrent, sed ut mortua semina & inertia in hominum corde obtorpescerent. Quis non intelligit in hominum animis jacta esse semina musices, architecturæ, eloquentiæ, &c? Si aliter sese res haberet, illæ artes non ad regulas excolerentur, sed ut in temerè, & opinione tantum susceptis rebus iis opera navaretur, quod evenit in illis vestium novis formis, quæ nulla per se modestiæ aut decoris argumenta in se continent, ideo indies mutantur: nunc autem illæ artes, quæ à natura proficiuntur, ad aliqua naturæ præcepta quotidie ad majorem perfectionem provehuntur, neque ex ingenio cujusque tractantur, sine ullis certis præscriptis. Nam quamvis istarum artium periti in quibusdam dissentiant, omnes tamen in summa se conveniunt: & cum artem excolunt, non temere, & ad nullum scopum collineantes, in arte perficienda incumbunt, sed illam expoliunt ad illa principia, quibus animus hominus à natura imbutus est. Quamvis in eloquentiæ præceptis tradendis omnes non conveniant, æquus tamen rerum æstimator non putat eam in opinione tantum consistere, aut illam veram perfectionem, naturam re ipsa exornantem, non continere, aut natam temere, & lascivientis ingenii fructum esse. At quis gentes barbaras, quæ omnium istarum artium ignaræ sunt (quamvis earum semina in se habeant) insimulet stupiditatis, & eas reas agat tamquam  
 istarum

- istarum artium contemptores, quarum nullum habuerunt usum. At postquam illæ artes migrarunt in istarum gentium regiones, & illæ eas flocci pendunt, aut ad eas capiendas indociles se præbent, rectè eas stupiditatis infimules; easque notes, ut elegantiarum artium contemptores. Ira etiam in quibus periit pudor, in iis ille non ita ultrò excitatur, non magis quam musicæ, architectonicæ aut eloquentiæ arsin Barbararum gentium ingeniis ultro emergit, neque ulla illis cogitatio nascitur aut studium ad pudorem & decus, quod apud moratiores gentes obtinet, sectandum, non magis, quam in barbaris gentibus oritur studium eloquentiæ, aut pingendi artis: at si conspiciant exempla pudoris, quæ apud moratiores gentes vigent, illico illorum pulchritudine capiuntur, vident & intelligunt illa exempla imitanda sibi esse; & si ea negligunt, sentiunt se reluctari isti, ut ita dicam, instinctui, & tunc re ipsa se reas constituunt impuditiæ. Non tamen existimo gentes barbaras in quibus pudor extinctus est, nullo modo posse ex se & sine exemplorum opera cognoscere pudoris officia, nihil minus: non enim arbitror gentes existere, in quibus pudoris passio sese non exercit, quamvis fortè illis ille pudor singularis periit, quo debebant erubescere de sua nuditate: nam proculdubio ipsos pudet, si in furto deprehendantur, si in bello se minus fortes præbuere, &c. ex quibus pudoris sensibus possunt aliquo modo sibi viam affectare ad cognoscendos & sectando pudicos mores: sed eo usque progredi non possunt sine studio & industria plus quam vulgari: non enim experiuntur judicia suæ gentis in rebus, quæ pudicos mores spectant, & quas moratiores gentes probant aut improbant, laudi aut vitio dant: qualia judicia illæ barbaræ gentes experiuntur in rebus, quas illæ virtutum aut vitiorum numero censent. Et hæc etiam  
causa

causa est, quare justitiæ & injustitiæ, imò reliquarum omnium virtutum (pudore de rebus venereis, & reliquis, quæ ad imoratos mores pertinent, exceptis) apud omnes gentes, etiam ad extremum barbaras, reperias: omnium enim aliarum virtutum usus & necessitas se prodit in quotidiano victu, & in omnibus ferme vitæ partibus; & exindè femina illarum virtutum sese exerunt in omnibus gentibus: at pudicitia usus non est ita manifestus, & ideo in barbaris gentibus omni disciplina, & moratorum morum exemplis destitutæ, serius officia, quæ à pudicitia dimanant, agnoscuntur; sed ubi cognita sunt, in proclivi est cognoscere illa à natura recta ortum suum habere. Nihil interea singulatim determino de hominibus, aut de gentibus, de quibus quæstio moveri possit, annon experiantur in se aliquem pudorem in corruptis suis moribus, & an illum per impudentiam non retundant & obruant, aut an non in memoria habeant illum pudorem se detrivisse, sæpius illi obluendo: quemadmodum evenit homines quosdam longò cædum, atrociorum, & omnis generis crudelitatis usu, ita omnem humanitatem exuisse, ut amplius nullo illius sensu tangantur. Sed noster sermo est de illis hominibus, & de illo casu, ubi hujusmodi indicia non comparent. Nam illi homines & gentes, de quibus illud suspicari licet, eo gravius peccant, quod ad hoc laborarunt, ut sine ullo conscientia aculeo, quo retardentur, possent sese ad omne nefas proripere. Non itaque hic definitio, an illæ gentes, quæ denudatè à genitalibus incedunt, quorum status proculdubio propudiosus est, in pudorem peccent, quia id judicium pendet à momentis extrinsecis, & appendicibus rerum, quæ mihi incomperta sunt. Si in castris supra traditis semina, signa, & simulachra pudoris sese prodant, gentesque ea per culpandam negligentiam

non



non excolant aut conerant & obruant per libidinem; tunc rectè impudentiæ reæ aguntur. Si autem aliter sese res habeat, & si nulla pudoris indicia sese in illis prodant, tunc non rectè illis hoc probum objectatur.

D E

## I N C E S T U.

**H**iscè ita illustratis, quorum ratio sese per totum, quem præ manibus habemus tractatum, diffundit, viam nobis fecimus ad iudicium ferendum de incestu, de quo quæritur an contra naturalem pudorem committatur. Dico in incestu quæri an in eo contra pudorem naturalem peccetur, non autem an contra dignitatem naturalem, quia in eo mihi non ita comparet dignitatis viri aut mulieris imminutio, quandoquidem incestuosa conjugia, ut talia, definiantur inter conjuges, paribus officiis & voluntatibus quibus legitima conjugia, & vitio incestus carentia continentur. Et utcunque ad reliqua castè, pudicè, & reverenter in conjugio incestuoso vivatur, naturalis ille pudor manet violatus. Quemadmodum ex adverso **V: G:** in scortatione non desinit imminui dignitas naturalis mulieris, quamvis cæterum omnes pudoris leges in usu scorti observentur pudenterque vir eam habeat ac tractet.

Ut autem de hac difficili quæstione rectius iudicium ferri possit, ortum originem atque naturam legis naturalis paulo altius repetam, ut occurram quorundam errori, aut

D

potius

potius improprio loquendi modo, qui illis in usu est, quando loquuntur de rebus, quæ jure naturæ dicuntur prohibita. Quandoquidem omne jus naturale fluit ex recta ratione; estque ejus dictamen, sequitur omne id, quod contra jus naturale est, esse contra rationem: unde porro efficitur, omne jus naturale esse immutabile; idque nullam exceptionem pati. Nunquam enim ratio abire potest in naturam non rationis, quod tamen eveniret, si à jure naturali esset quædam remissio, aut exceptio. Injuriam facere, odisse proximum, furari, proximi bonis cupidè imminere & concupiscere, contra pudorem aliquid committere, sunt jure naturali prohibita; nec unquam istorum præceptorum relaxatio aut remissio facta fuit. Quod autem quidam existimarunt in hujusmodi præceptis aliquam exceptionem aut relaxationem fuisse factam, in de natum, quod non satis introspexerint naturam legis naturalis. Innocentem occidere: ex concessu Dei bona, quæ proximi erant jure civili, occupare: hostem interneccione delere, neque ulla pacis fœdera cum eo velle contrahere: filium occidere: cum sorore, & cum iis mulieribus, quæ consanguinitatis gradu ad me proximè accedunt, matrimonium contrahere, non est contra legem naturalem; neque si aliquando istæ impune usurpare licuit, idèò exceptio à lege naturali, aut ejus relaxatio facta fuit; quia supra recensita legis naturalis præcepta non sunt. Sed hæc sunt quæ jure naturali prohibentur: odisse proximum: occidere illum, in quem nullum occidendi jus habes: rapere alterius bona: sævire in filium & proprium sanguinem, impudicè agere. Neque comperies Deum unquam ad hæc indulgisse, aut in iis connivisse, aut eorum impunitatem concessisse. Ad speciem talia quidem aliquando concessa videntur, sed propius rem consideranti apparet, illa muta-

muta-

mutatione circumstantiarum induisse aliam naturam : & Deum, aut inecessitatem sustulisse ex illis rebus illud formale, quo naturali legi subjici videbantur, Ille non scivit in filium, qui ex mandato Dei illum mactare destinat; & qui ita in illum acquirebat jus vitæ & necis; quique porro conservans in filium paternum amorem Dei mandatum prævertit naturali affectui. Is non peccat contra pudorem in incestuosis nuptiis (voco tales exconsuetudine communis vitæ sermonisque) qui mandatato Dei, crescite & multiplicamini, obsequens, cum sorore consuecit, colens interea in animo reverentiam illam sanguinis, quam sorori debet: neque pudori suo deest virgo, quæ ægra ex ea parte corporis, quæ semper latuit decorè, necessitate cogitur eam deligendam chirurgi oculis subjicere.

Sed ex iis, quæ jam quidem ex meo sensu deprompsi fortasse aliquis conficere atque concludere vellet, præcepta illa naturalia, si eorum usum spectemus, reipia tantum esse juris positivi. Sic enim aliquis argumentationem suam posset instituire. Si jure naturali tantum prohibetur **V: G:** odisse proximum: amorem, quem filio debemus exuere: pudorem neglectui habere, ergo præcepta juris naturalis sunt tantum præcepta positiva, quia istæc præcepta non impediunt quare Deus omnia, ad actum externum quod attinet, non possit permittere, quæ legibus jam enumeratis prohibentur: ita ut Deus ex suo arbitrio totum genus humanum eximere possit ab externa observatione istius legis; & promiscuè cædes, latrocinia, omniaque probra generi humano permittere; ut ita omnia infida, atque infecta inter homines sint, nullaque hora sit vacua aut libera à furto, scelere & impudicitia. Sed respondemus hoc absurdum non magis sequi ex mea sententia, quam eorum, qui utuntur vocibus exceptionis & dispensationis à lege.

Nam quos casus nos dicimus lege non contineri, eos illi, quibus vocabula exceptionis & dispensationis placent, dicent excipi à lege; aut in iis factam dispensationem. Et quia hoc cuique manifestum est, non persequemur id ulterius ostendere. Neque mirum hic parem rationem esse, quia, sicut etiam supra indicavimus, non tam rei quam nominis controversia est: ita ut duæ illæ sententiæ facile in consensum & concordiam redigi possint; neque ponam in magno discrimine utcunque hæc æstimentur: Insisto tamen potius mea viâ, quia illa mihi planior minusque confragosa videtur: & voces exceptionis & dispensationis primum rem intuenti videntur insinuare; quasi Deus jus daret sceleri, & quasi illis qui à lege eximuntur liceret esse improbis: cum mea sententia manifestius doceat in exemplis supra allatis non recedi à lege naturali; neque quemquam ab ea eximi, sed actus ullos nullam labem crudelitatis aut turpitudinis sustinere, quia circumstantiarum facta est mutatio, non quia à lege eximuntur. Sed ut ad objectionem ipsam respondeam: Negamus sequi, Deum totum genus humanum in illo statu constituere posse ut lege naturali non constringatur, quantum ad extremos actus, quia illum statum sequeretur destructio generis humani, ad cuius conservationem omnes leges humanæ comparatæ sunt. Sed exemplo rem illustriorem reddam: finge Monarcham in illo fastigio collocatum, ut de bonis & fortunis subditorum possit disporre ex suo arbitrio: summæ hujus monarchæ potestatis hæc erit ratio, ut à furto & rapina præstitura sit immunem actionem civis, quâ ex principis potestate sibi adjungit bona quædam, quæ ante voluntatem principis alterius erant: non tamen efficit illa summa principis potestas, ut ideo minus furta & rapinas oderit, ea legibus pro-

prohibeat , severèque vindicet : neque desinit naturæ legem esse, non esse furandum, quamvis in illius potestate sit, actionem aliquam liberare à furti crimine. Et si salus Reipublicæ aliquando postulat, ut Rex innocentem bonis exuat, non ideo sequitur, salutem Reipublicæ unquam permittere, civium fortunas semper ita fluxas atque instabiles esse, ut singulis momentis ex Regis libidine direptioni exponantur.

Nunc pergimus ad enodationem ipsius quæstionis, an scilicet incestus lege naturali prohibeantur : hoc simplici responsione defungi non possumus, sed distinctionibus opus, quibus confido omnes hujus quæstionis difficultates exhauriri posse. Dicimus itaque, si per pudorem naturalem, de quo quæritur an incestu violetur, intelligatur is pudor, qui præsupponitur vigere & superesse in omnibus, etiam maximè barbaris; & quo putantur omnes homines erubescere; & eidem vim inferre quando incestuosa ineunt conjugia : ita ut per pudorem naturalem intelligant, sensum pudoris ita à natura omnibus hominibus insitum, ut nunquam in homine oblitteretur, aut deleatur, nos non audere hoc certò determinare; cum nos fugiat, an ille sensus pudoris non ita perierit in quibusdam barbaris gentibus, ut illius nullum in se experiantur iudicium. Et tota hæc res decidi debet ex historia, & eorum testimonio, qui barbaras gentes invisere; & bene ad eorum mores attendere, nec simpliciter visu eas usurparunt, cum mutuâ impudiciâ sibi mula possint indulgere. Quemadmodum etiam non facile expediri potest difficultas, an dentur gentes, in quibus numinis notitia planè sit extincta. Ego quidem inclino in illam sententiam in nullis gentibus utcumque barbaris extinctum sensum pudoris in omnibus illis gradibus, qui in linea recta sibi subor-

dinantur; in aliis gradibus nihil certi habeo quod statnam. Sed hæc res non est magni momenti ad expediendas controversias, quæ in hoc difficili casu principes putantur. Quæadmodum non magnopere refert ad elucidationem controversiæ, an detur idea, aut naturalis Dei cognitio in nobis, sive dicas illam cognitionē ita extinctam in nonnullis, ut illius nullus supersit sensus, sive doceatur nullam gentem adeo immanitate efferatam, ut nulla apud eam sit Dei suspicio.

Secundò, si per peccatum in pudorem naturalem, intelligitur actus aut perpetratio alicujus rei, quæ non congruit cum principiis illis naturæ insitis, à quibus ducuntur officia pudoris, ita scilicet, ut probari possit ex illis naturalibus principiis, naturæ & rectæ rationis dictamen esse, positis ponendis, erubescendum esse de incestuosis conjugii; neque esse illum pudorem rusticum, temere susceptum aut usu & consuetudine hominum tantum introductum, statuum pudorem, qui hominibus oritur ex incestuosis conjugiiis, ex naturalibus, hominique à Deo inditis, sed post ingressionem peccati in mundum, principiis, ortum suum habere. Operæ pretium autem me facturum arbitror, si hac occasione exponam, quid intelligam per id quod à natura nobis insitum puto. Non enim in hoc casu respicio ad aliquas notiones, aut ideas à natura, aut à Deo nobis immediatè inditas; neque etiam ad aliquos instinctus, inclinationes, aut aversiones, quæ ita in nobis (ut pluri mi existimant) à natura existunt, ut cum nobis natæ videantur; sintque habendæ pro primis principiis, quorum nulla sit exigenda ratio, sed quæ sua motione, quam homines in se experiuntur, & quam à natura sibi inditam dicunt ultro, sine labore, studio, aut industria judicantur. Non inquam respicio ad hujusmodi notiones & principia, cum meritò dubitari possit, an ulla hujusmodi principia natu-

naturalia aut instinctus naturales in nobis dentur; & an non potius ita hominis natura comparata sit, ut propter circumstantias, in quibus homo constituitur, sponte quidem, & sine studio, aut applicatione mentis certa à nobis formentur judicia, excitentur affectus, & se concitent quidam motus, & instinctus, sed qui tamen juxta aliquam legem primam, & fundamentalem, quæ est conservatio sui ipsius; & quæ lex pro suo fundamento habet naturalem & physicam hominis constitutionem, qua dolorem fugit & gaudium prosequitur, reguntur, atque moderantur: & ita recurreret eadem difficultas: an scilicet ex hujusmodi naturalibus emotionibus petendum sit principium aut fundamentum moralitatis? Cum multæ passiones, etiam in brutis, observentur: & quamvis pudoris affectus in iis senon prodant, non inde sequitur illos affectus in hominibus aliter oriri quam cæteras passiones in brutis, quas homo cum iis habet communes. Per principium itaque naturale, à quo officia pudoris ducuntur, intelligo facultatem hominis, qua idoneus est iudex rei excellentis, aut vilis, atque abjectæ. Excellentia, dignitas, atque perfectio rei sumitur ex usu, commoditate, atque utilitate, quam præstat ad homini conciliandam beatitudinem, & immunitatem à dolore: sicut ex adverso, rei vilitas petitur ex exigua utilitate, quam confert ad parandam felicitatem homini. Hinc ratio, & quæ ex ratione proficiuntur, prudentia, & illæ artes, quibus ratio precipuè colitur, meritò ab hominibus in maximo habentur pretio, quia illis præcipuè utitur homo ad acquirendum gaudium constans, firmum, & minimè mutationi obnoxium. Propter eandem rationem virtus cæteris omnibus rebus dignitate præcellit, quia illâ solummodo gaudium illud acquiritur, quod fixum & stabile est, quia virtute discimus minime nostras rationes à rebus externis suspen-

suspensas habere, & iis delectari, quæ in nostra sunt potestate: sunt autem ea, quæ à nobis pendent, nobis maximè propria, & ideo nos plurimum afficiunt, quia ejusmodi à voluntate proficiuntur: facere autem quod lubet, & nihil nobis evenire quod animo ingratum, & voluntati adversum sit, omnes beatitudinis complectitur partes; estque id in suo genere completum & cumulatum: ex adverso voluptates corporis, & ea quæ illi acquirendæ inserviunt, inter res viles ducenda sunt, quia pariunt voluptates fluxas, atque instabiles; & quæ ut plurimum ipso usu corrumpunt illas facultates hominis, quibus constans gaudium paratur; & ideo nullus, qui recte rationes suas instituit, & quam minimè dolori obnoxius esse vult, iis indulget, nisi necessitatis causa, & ut remissione animi, quæ exiguo & moderato illarum voluptatum usu paratur, facultates animæ recreentur. Inter voluptates corporis autem nullæ longius absunt ab usu facultatum earum quibus verum gaudium acquiritur, quam voluptas venerea, non quia nobis cum bestiis communis est: nam & cura proliſ educandæ, & studium conservacionis nostri, &c. etiam in bestiis reperiuntur, quæ tamen à bonitate sua commendantur; sed quia nec ratione, nec arte, neque prudentiâ regitur, quæ sunt facultates & habitus, quibus ad veram beatitudinem nobis viam facimus: & quo vilitas istius voluptatis efficacius mentem nostram everberat, eo magis pudore suffundimur: & quo magis auctores, & in causa sumus, quod illa voluptatis vilitas apertius cogitationi nostræ objiciatur atque obversetur, eo magis peccamus contra pudorem: in incestu autem hoc accidit, quia in eo duplici de causa vilitas illius voluptatis mentibus eorum, inter quos incestus committitur, insinuat. Quod in sequentibus docebitur.

Cæterum



Cæterum cum statuimus moralitatem non esse petendam à notionibus, instinctu, inclinatione, aversione, &c. naturaliter homini insita, non id docemus, quasi per unionem mentis cum corpore non existerent in homine quædam, per quæ, nulla ratione præunte, aut passionem & affectum moderante, homo ad aliquid amplectendum aut fugiendum, amandum aut odio habendum, &c. ducitur; & quorum postea in cultu virtutis magnus usus est: nam dolor & gaudium, à quibus duobus omnes animi affectus oriuntur, nobis à natura sunt indita: ita ab eadem naturali unionem animæ cum corpore manat quod homines concentu vocum & fidium capiantur; quamvis enim illæ artes ratione & studio excolantur, principium tamen atq; fundamentum earum physicum & naturale est; & quidem ita physicum & naturale, ut, etiam si nulla ars accederet, illud principium tamen perficeretur, si natura hominis, hominem in illis circumstantiis poneret; quibus sæpius audiendo musicam, & ad eam attendere coactus, illud principium latius sese diffunderet, quemadmodum sine arte; & tantum ex oblatione circumstantiarum, & bruta, & infantes habitus corporeos acquirunt, quibus salutaria & grata sibi parent, & ingrata vitent; imo singula certas prudentiæ sibi comparant regulas pro copia & varietate circumstantiarum, in quibus, propter proprietatem naturæ constituuntur; aut propter ætatis incrementa, aut accidentales appendices temporum aut personarum eas in usum referre necesse habent, quatenus earum salus & conservatio à pluribus, atque majoribus dependet adminiculis, sed quæ prudentiæ regulæ eodem tamen modo in utrisque generantur; & ab iisdem corporis procedunt principiis, quæ tamen creatoris non minus commendant sapientiam, quam si ab anima aut mente proficiscerentur. Ita agnosco nos experiri in nobis naturalem aversionem à rebus turpibus, quales sunt inter alia coitus in oculis hominum exercitus

E

citus

citus incestus & peccata muta, &c. quas aversiones in nobis existere arbitror, quemadmodum aversio à dispropor-  
 tione in musica & in lineis: sed non arbitror illa ponenda pro principiis, quibus disciplina moralis fundetur, aut extrui possit; quia illis hominibus, qui non nisi demonstrationibus cedere consueverunt, difficulter probatur omnes illas inclinationes, propensiones, aversiones, &c. aliud quid esse, quam motus corporeos, nec à ratione, nec à voluntate hominis profectos, sed quorum homo propter mentem, qua præditus est, conscius est; & quos libere se exerere putat, cum tamen in iis non plus libertatis est, quam in actionibus brutorum, quibus se conservant; & pullos nutriunt: aut quam in actionibus stultorum, qui tales suæ libertatis sensus in se experiuntur, quales sapientes; neque probaveris, inquirunt, eos sine voluntate agere, quam quia non coherentia perpetrant. Diximus autem supra magnum earum inclinationum, propensionum & aversionum usum esse in vita hominis, quamvis assumi non possint pro principiis quibus fundetur aut extruatur disciplina moralis; imo talis tantusque earum usus est in vita humana, ut ferme maxima pars hominum hisce & similibus tacitis & spontaneis motionibus vitam instituat, illeque in moralitate proram & puppim faciant: & idiotæ hisce motionibus ducti, sponte ea agant, sensusque & judicia forment, ut non raro doctissimis & judiciosissimis Philosophis aqua hæreat in expedienda ratione morali quare unum ut malum morale fugiendum, alterum ut bonum morale prosequendum sit: neque valet tantum earum motionum usus in rebus turpibus, & honestis, in quibus aversionum & propensionum naturalium major videtur esse usus, sed etiam in rebus, in quibus jus & æquum strictè & propriè dictum versatur, quorum etiam doctis ratio aliquando ita est recondita, ut confiteri necesse habeant,

beant,

beant, se hæcenus frustra laborasse in promenda & in aperto ponenda causa justitiæ aut injustitiæ alicujus facti, à quo ipsi cum idiotis abhorrent, aut quod probant & laudant: quæ quoties propius considero, admiratione me detinent, & vim naturæ, vel potius auctoris & fabricatoris naturæ me prædicare cogunt, & profiteri omnia referta & completa esse æterno sensu & mente divina: nam quam hoc mirificum, quod Deus ex hujusmodi principiis hominem composuerit, quæ etiam in moribus tam latè sese diffundunt, ut nisi homo capax esset, ipsique supra bruta animalia proprium, reflectere super suas actiones; & per voluntatem obsequi aut reluctari istis naturalibus motionibus, dixeris cum aliqua verisimilitudine, in pluribus actionibus, quibus moralitatem attribuere consuevimus, hominem machinæ vicem prestare; & eas tantum esse effectus, non rationis humanæ, sed naturalis impetus?

Et ideo est res digna facultate, & industria doctorum virorum, inquirere quo numero habendæ sint hujusmodi actiones & judicia, quæ homines sua sponte, naturæ ut vulgo putat, instinctu, exserunt. Verbi gratia. Omnes & singuli docti & indocti judicant fas non esse redimere vitam suam morte innocentis, pacisci cum latrone & sicario de salute sua, ea lege, ut in gratiam latronis aliquem innocentem, quem latro interemptum cupit, vitâ interficias. Non puto quemquam mortalium reperiri, qui ullam moralitatem in actionibus humanis agnoscit, qui non pleno assensu tale factum improbet: & fortasse paucissimi reperientur, qui propriam rationem malitiæ moralis in eo facto assignare poterunt; ego saltem lubens profiteor me illam ignorare: quæritur itaque primò, an tale spontaneum judicium ponendum sit inter operationes hominis morales, & an non sit habendum eo loco, quo ponitur actio infantis,

tis, qui focō accedens, eum situm, & posituram spontē dare novit corporis partibus, ut eā paribus libræ ponderibus prohibeant ne pronus aut supinus labatur, quem situm ne peritissimus quidem artifex statux rectē conciliaverit; & quam infantis solertiam nemo laudaverit nisi in auctore naturæ, Deo nempe, cum totum hoc, naturæ infantis, non ejus voluntatis opus sit. Et ita quidem judicium de iniquitate pacti initi cum latrone, de naxe innocentis non ponitur in numero actionum moralium; nam non magis voluntati ullæ in eo sunt partes à quibus moralitatem mutuari possit, quam ea illas sibi vendicat in infante formante statum corporis quo à prolapsione se tuetur. Secundò, de ipsi inclinationibus, & aversionibus, quæ ea judicia sequuntur, queritur, an ad actiones liberas & à voluntate profectas referri debeant, an potius ad actiones automaticas, brutorum operationibus similes; sed majorem industriam indicantes: quia homines in aliis circumstantiis naturâ constituti, magis cauti providique esse debent, si se conservare velint quam quidem bruta; inter quæ tamen etiam gradus industriæ dantur, & illa animalia quæ domestica vocamus, plura documenta industriæ suæ produnt, quam fera & silvestria? Denique quæri ea occasione posset, in quo consistat formalis ratio moralitatis in actionibus; & quæ sunt propriæ actiones morales; & quibus signis distinguendæ ab aliis, quas non morales & non voluntarias, hoc est non à voluntate profectas vocare solemus? Ego quidem in hisce multum difficultatis offendo, & quas dignas arbitror facultate & doctrina doctorum virorum, qui operam suam in hisce elucidandis collocent; præsertim hoc sæculo, in quo ad laboratur ut moralitas, & consequenter omnis religio è medio tollatur. Amor atque studium veritatis, & quod libenter

ter alios exhortando velim mederi errori illi perniciosissimo, me non nihil abstraxit ab instituto, ad quod jam revertor. Statuimus itaque pudorem naturalem in incestuosis conjugii violari; cumque pudorem ex principiis homini à natura judicis ortum suum habere: Per principia autem non simpliciter intelligenda inclinationes aut aversiones, quæ sponte & naturaliter sine attentione mentis in nobis oriuntur, aut quæ cum prima nostra origine nobis ad sunt, quamvis non negamus illis in hac controversia aliquid esse tribuendum, sed per principia intelligimus principia rationis, per quam ostenditur nos pudore debere suffragari de incestuosis conjugii; & eos contra pudorem ratione imperatum agere, qui cum proximè consanguineis consuecunt.

Tertiò, si per pudorem naturalem intelligitur res, per rationem naturalem imperatas, quemadmodum recta, & naturalis ratio imperat suum cuique tribuere, non furari, &c. tunc imperitè quæritur, an incestusa conjugia sint lege naturali, & recta ratione prohibita, quia ea, quorum formalis peccati ratio consistit in ipsa violatione, & neglectu pudoris, qualia sunt omnia illa peccata, quæ propriè contra pudorem committi dicuntur, illà ratione rectà prohiberi non possunt, quia illa recta ratio constituit primam hominis naturam: at ratio recta, quæ violationem pudoris prohibet fundamentum suum habet in secundà hominis natura, quam propter peccati perpetrationem nactus est. Pudor enim est perfectio, non inclusa in hominis natura, sed adscitia & secundaria, cui peccatum hominis locum fecit; quando homini perfectione & iustitia originali destituto, pudenda cæpere esse verenda. Et ideo frustra laborant, qui per rectam ratio-

nem, quæ primam hominis naturam constituit, & qua illæ virtutes & vitia moralia demonstrantur, quæ à prima hominis constitutione dimanant, pudendorum velationem, & incestuosorum conjugiorum flagitium probare nituntur; & ideo intrepidè dicimus, & alibi hoc docuimus, tales res lege naturæ primæ non prohiberi. De quo nasutiores factis edocti, confugerunt ad probandam vitiositatem in incestu ad instinctum naturalem; & cujus ulterior ratio quærenda non erat: Quorum studium ut laudandum, ita tamen facile debilis & fractus ille argumentandi modus agnoscitur: semper enim illis difficultas supererit, quando pudor bonus à malo, & ille cui parendum est, ab eo cui non parendum est, erit distinguendus.

Et quia incestus non prohibentur primæ recta ratione, sive jure naturali primævo, quod ducitur ab hominis prima natura, sed jure naturali secundario, quod derivatur à natura hominis jam per peccatum collapsi & cognoscentis, bonum & malum: ideo coitus cum proximè consanguineis per se malus non est, nec jure naturali primævo prohibitus, sed fit malus, quando illo coitu neglectus & violatio pudoris continetur, qui non violatur, quando in illo coitu nihil est pudendum; & quando illud quod in illo cognoscitur pudendum lege Dei removetur, quod fuit factum primò, per præceptum: crescite & multi plicamini, quando unum tantum hominum par erat in universo. Secundò, per legem Dei de leviratu, quæ apud Israhelitas obtinuit. Deus autem hoc potuit, quia incestus per se mali non sunt, quemadmodum omnia illa per se mala sunt, quæ ratione rectâ in primo hominis statu comprehensa, mala putantur; & quorum ratio ideo nunquam mutari potest.

Nec puto ullam necessitatem evenire posse, qua incestus nunc à peccato liberentur, quia illorum ea est natura

ut

ut per accidens sequi non possint ad defensionem nostri juris, quod cuius attentius consideranti distinctionem illam, quam supra tradidimus, & exemplis illustravimus, manifestum erit. Multo minus existimo homini aut collegio in terris concessam esse potestatem, quæ illud vitium, illudque pudendum & probrum ab incestuosis conjugiiis tollere potest. Et docti inter pontificios jus & praxin pontificis in dispensatione graduum, *Levit. 18.* prohibitorum tumentur, quod ea occupata non sit in gradibus naturâ prohibitis; sed in iis, qui jure positivo tantum Israelitis interdiciuntur; & quos gradus Deus tamen valere voluit apud Judæos & Christianos, quo illis pudor commendatior majorique curæ esset; & in iis gradibus existimant necessitatem tollere obligandi vim: & ideo Pontifex jus & auctoritatem dispensandi usurpat tantum in magnatibus & ex quorum conjugiiis spes est magnas commoditates redundaturas in Rempublicam. Et hanc litem nunc propius expendere lubet.

Totius controversiæ difficultas in eo vertitur, quibus argumentis probetur illum genitalem pudorem sese extendere ad omnes gradus consanguinitatis & affinitatis, qui *Levit. 18.* prohibentur; neque in illum legum numerum esse aggregatas leges positivas, quæ quidem referendæ sunt ad legem naturalem, quæ pudorem genitalem regit, non aliter tamen ab illa lege præscribuntur, quam moratiorum gentium mores in incessu, & reliqui moderati æquabilesque habitus & effectiones ususque corporis, quibus modestia, reverentia, pudor, & reconditi probi animi mores exprimuntur; & quæ quidem apta ad naturam sunt, & in natura suum habent fundamentum; tamen non sunt legis naturalis præcepta, ita ut si quædam gens sese non extulerit ad istos politos mores, ideo in observatione legis naturalis

lis deficere videatur. Quæ gens prædita politis illis moribus, qui ortum suum habent ab attenta consideratione eorum, quibus pudor & dignitas hominis commendatior existit, quidem ornatior est; non tamen alia gente, quæ illis ornamentis non tantum caret, sed illa etiam funditus ignorat, sanctior: quia illa carentia non oritur ex neglectu pudoris, modestiæ, & gravitatis; qui neglectus evenire aliter non potest, quam quia, cum exemplis aliarum gentium monentur de accuratiore studio modestiæ atque pudoris, ea tamen contemnunt per impudentiam: qui casus à præsentis controversia alienus est. Ut itaque dicam quod sententiam. Primò, non existimo illam vim naturalis pudoris in omnibus gentibus, & omni ævo semper fuisse, ut illa eas deterrere debuerit à talibus conjugiiis, ita ut illa nunquam apud eas usurpata fuerint nisi per inverecundiam, & pudoris illius naturalis violationem. Me in illam sententiam impellit exemplum Patriarcharum, qui cum fuerint vitæ integritate probatissimi, tamen matrimonia contraxere quæ, *Levit.* 18. prohibita legimus, & quibus Israelitas post solemnem legis promulgationem rigidè interdictos scimus. Quando ego vitam istorum virorum inspiciò, & animo volvo, quam illa omnibus partibus integra fuerit, ita ut ne vestigia quidem ullius libidinis in ea notare liceat, nihilque in ea compareat quod non sit ex optimo more & sanctissima disciplina, vereor ne in iniquam & falsam probrorum insimulationem eos vocem, si dicam eos propter huiusmodi conjugia pudori suo vim intulisse, & libidini obsequentes, maluisse per illicitos complexus tantum scelus suscipere, quam libidini suæ imperare. Malo itaque dicere, illos, nec cognitione nec usu cognitum habuisse in illis conjugiiis aliquid flagitii fuisse: sed currentibus sæculis illam barbariem ita inveterasse in moribus hominum, inter



ter quos vivebant, ut nec exemplum, nec ratio iis in promptu esset, per quæ excitarentur ad suspicandum talia conjugia criminosa esse. Existimo itaque statum illorum illa barbarie infectum Deum minus probasse, formalem tamen incestum eos commisisse non arbitror: quia non existimo sanctitatem istorum Patriarcharum tam foedam labem concipere, eamque toto vitæ curriculo sustinere potuisse, quam etiam pietas, non altè fundata, fugit. Itaque aut in nostram sententiam pedibus eundum, aut dicendum sanctos illos viros sanctitate caruisse; quod est ipsam sanctitatem orbare sanctitate.

Neque obest nostræ sententiæ, quod *Levit.* 18. dicitur, gentem Chananæam propter talia conjugia & congressus deletam & interneconi damnatam. Respondeo enim: unde constabit gentes illas sedibus suis pulsas non fuisse, propter usum conjugiorum inter eos qui à communi stirpe quam proximè aberant? Verisimile enim est, ab illis gentibus pessima omni ævo incestus exempla prodita fuisse. Quæ quæso verisimilitudo, gentes à longo tempore alloquio Dei carentes, & viis suis ambulantes, propter quædam conjugia gravissimâ vindictâ persequi, à quibus tamen conjugiiis veri Dei cultores non abhorrebant; & ad quæ Deus indulserat ad ea usque tempora, quibus leges illæ de gradibus matrimonii Iseraclitis in monte Sinai latæ sunt. Neque à nobis dissentientes, plus præsidii inveniunt in verbis, *Levit.* 18. v. 26. quibus conjugia illic prohibita dicuntur esse abominationi Jehovæ. Nam primò: Non facile probabunt ad versarii, illam vocem abominationis convenire omnibus casibus, qui illic prohibentur. Et nullus adversariorum, ut opinor, eam quadrare putet congressui cum menstruata. Deinde cum vox *abomina-*

F

est

est mentio immolationis liberorum Molocho, peccati sodomitici & aliorum alienigenorum concubituum, est verisimile vocem *abominationis* tantum illis flagitiis aptandam. Denique nos non negamus, in iis conjugii turpitudinem naturalem hæere; & ideo dicimus incestus contra jus naturale committi; eosque flagitum perpetrare, qui in iis contrahendis pudori suo defunt; & statuius omnes Judæos, post legem latam à Deo *Levit. 18.* ipsi abominabiles fuisse, ut qui contra legem latam, & contra pudorem naturalem excitatum in iis per legem, naturâ adjuvante, ad illos prohibitos amplexus properarent. Nam sæmel eorum moribus deleta barbarie, nemo sine insigni flagitio illam de novo accersere poterat. Imo non vereretur dicere, ante legem latam, *Levit. 18.* istæc matrimonia in posteris Adami fuisse incestus: quemadmodum coitus cum scorto reddit scortatorem unum corpus cum scorto: si enim coitus expendas ad prima naturæ instituta, quæ tamen semper suum effectum non habent, coitus cum muliere ita comparatus est suâ naturâ, ut vinculum matrimoniale involvat. Sed quæ appensa ad primum naturæ institutum, & ad primum peccati auctorem recte flagitia esse putantur, non manent semper talia: & quæ in primis sunt commissa contra pudorem, non ideo in posteris & sequentibus, in quibus pudor ille abest, eodem numero censentur. Neque adulterium committit, qui abdicato scorto, cum alia conjugium contrahit. Sed ex hisce non efficitur, vim pudoris illius naturalis in omnibus conjugii prohibitis gradibus ita efficaciter sese exserere, ut omnes gentes, omnia ævo, illius experiantur sensum! Præterea addendum, in sacris Bibliis res quasdam dici esse Deo abominationi, aut esse *abominationem*, quæ cum jure naturali nullam cognationem habent. Sic in lege de piscibus,

avi-

avibus & reptilibus, à quibus Judæis abstinendum erat, non sæmel adjicitur *abominatio* est, *Levit. 11. vers. 10. 20. 41. 42. Deut. 17. 1.* Non quod existimem leges de gradibus matrimonii referendas in numerum legum ceremonialium, aut accensendas statutis civilibus, sed ut ostendam ex voce *abominationis* non rectè concludi istarum rerum, quibus adjicitur *vox abominationis*, eam naturalem esse cognitionem, ut ea non possit obliterari.

Secundò: existimamus leges *Levit. 18.* & nominatim illas, quæ continent prohibitionem conjugiorum inter eos, qui remotius absunt à communi stirpe, non datas esse simpliciter ad majorem custodiam pudoris, & verecundiæ, quales exempli gratia sunt, quod Deus Adamum & Evam, post commissum peccatum, togis induit, quæ totum corpus tegerent: quod multis in locis foeminae rarò prodeant in publicum, & non nisi velatæ, &c. sed illas leges latas arbitror, quia genitalis pudor à communi stirpe in eos gradus manat & diffunditur; ita ut gentes in quibus pudor ille vel fuit conservatus, vel legibus de novo excitatus, pudore se tangi sentiant, quando de copula cum personis affinitate aut consanguinitate tam prope junctis cogitant: & ego testificor omnes Christianos, an non experiantur in se illum pudorem, & animis atque cogitationibus illum comprehendant? Neque ipsi Pontificii, qui aliquando de his legibus dispensant, hoc sunt negaturi. Neque statui potest istum pudorem de incestu in Christianis natum & conservatum ex legibus illis, *Levit. 18.* à Christianis receptis & ex consequuta consuetudine; atque ita illum non à dictamine naturalis pudoris profectum, non magis quam abolitio servitutis inter Christianos à lege naturali ortum suum habet: aut quam consuetudines quædam gentium & nationum occupatæ circa mulierum pudicitiam; & contra

quam nulla mulier in illa gente, sine pudoris aspernatione facile aliquid committat: cum illæ consuetudines plusculum originem suam tantum trahant à gentis temperamento, quod mores communiter sequuntur; quique ideo inde suum ortum habent, confido istas rationes apud eum nullum pondus habituras, qui perpenderit istum pudorem, qui nobis oritur ex cogitatione copulæ cum personis, gradibus prohibitis, nobis junctis, *Primò*, natura & genere suo convenire cum illo, qui nobis obrepit, quando mente nobis representamus conjugium cum matre vel sorore; *Secundò*, istius pudoris vim minutatim deficere, pro distantia graduum à communi stirpe; donec deducto longius intervallò planè emoriatur: quemadmodum ex adverso, pudoris vigor intenditur pro ratione, qua illud intervallum contrahitur. Hujusmodi incrementa & decrementa pudoris non invenias in gentium moribus, qui quidem ad pudoris custodiam usurpantur, & quibus quidem pudor & pudicitia naturalis locum fecit, sed tamen recta serie non ducuntur à pudoris naturalis commotione, neque lege & officio præscripta sunt. Quid quæso pudendum aut erubescendum in mulieris vultu & ore, quare in publico, virorum oculis subjici non possint? Imo quia in illis est honesta species, ideo natura ea posuit in promptu: neque est res suo nomine laudanda illa consuetudo, sed forte libido gentis iussit eos illos mores assciscere, præbuitque illi istius sollicitudinis causam. Comprehendunt itaque & exprimit illæ leges, *Levit.* 18. pudoris naturalis dictamina.

Tertiò dicimus, cum Christianis non minori curæ debeat esse pudor, quam Judæis; nos non videre, quare Christiani iisdem legibus non teneantur. Neque hoc inficias eunt pontificii, qui ad majorem sanguinis reverentiam etiam graduum intervalla longius deducunt, quam quidem  
 fit,

fit, *Levit.* 18. & ea conjugia pudoris causa prohibent, quæ nostris probantur. Est itaque controversia eò dilapsa, an propter necessitatem quando ex concessione talium conjugiorum magna commoda sunt redundatura in Rempublicam, aut spes sit averruncandi magnas calamitates, talia conjugia aliquando permitti non possint? Quia tum abest omnis causa suspicandi ex libidine illa matrimonia ambi-ri; & ideo non studio, sed necessitate contrahi. Tam pontificiis quam nobis manet fixa & inconcussa illa regula, non esse faciendum malum ut eveniat bonum: & ita quidem pontificii nobiscum sentiunt nullam necessitatem intervenire posse, quâ hominibus jus oriatur aliquid directè agendi contra pudorem. Et quia pontificiis ea mens est, pudorem violari, quando conjugia contrahuntur inter eos, qui in recta linea se invicem attingunt, aut qui in transversa proximis gradibus à stirpe communi absunt: & ideo istorum conjugiorum nulli unquam gratiam faciunt, propterea non ita manifestum est Pontificios attribere Papæ potestatem dispensandi de jure naturali. Nam pontificii eò non devenere, ut quæ omnium consensu peccata putantur esse; quæque sunt in aperto delicto, ea à peccatorum numero eximerent. Nullus enim eorum scortationem, supra, adulteria, alienigenos & monstrosos concubitus specie necessitatis excusavit: & tamen vim necessitatis in gradibus, quibusdam matrimonii valere putant: quod argumento est, illos aliter mentem informatam habere de natura moralitatis, quæ reperitur in gradibus remotioribus, quam qui in proximis existit. Et quoties mente revolvo quam discrepantes sint nostrorum Theologorum sententiæ de legû natura, quæ moderantur conjugia & pudorem, & reliqua cum his conjugata: & quomodo necessitatis casus apud eos nonnunquam tantum valeant, ut à consueto curriculo deflectant, & quædam excusent, quæ extra illum necessitatis casum.

causam gravissima peccata esse duxissent, nostri videntur pontificiorum errori satis affines esse. Sic cuidam concubinæ usus concessus supra justam & legitimam uxorem. Ita viro duæ concessæ uxores, cum innoxio errore alteram foeminam sibi matrimonio junxisset prima superstite, quam vitâ defunctam putabat,

Scio equidem enumeratos casus non secundum omnia esse pares cum iis qui incestus nomine veniunt, cum in illis non tam pudor in discrimen veniat, quam dignitas matrimonii. In hoc tamen conveniunt, quod in utroque casu est necessitas: inter utrumque ea est cognatio, ut ambo legibus matrimonii comprehendi soleant, & casus juxta eas leges decidi: in utroque necessitati multum tribuitur; quod aliis in casibus non ita invenias. Et aliquis inde conjiciat, quam vis illius rei nullam solidam & expressam in mente experiamur legem, earum tamen nos naturaliter umbras & imagines habere; earumque in nobis sentire effectum, & quas ideo ultro sequimur; quia proficisci videntur ex optimis naturæ principiis. Et nostri Theologii, qui in expediendis & enodandis conscientiæ dubiis operam & industriam suam collocarunt, forte non tam re & legibus à pontificiis quam exemplis dissentiant, atque improbant pontificiorum institutum, quia mens eorum attendita est in consideratione casuum concessorum à pontificiis, quos non considerant ut necessarios satis, & alii de causis istæ conjugia potius quæsitæ & concessa, quam Republicæ bono: quod quidem jam non disputo. Ut itaque contraham in compendium, quod in hac difficili obscuraque re dicendum habeam. Existimo nostros Theologos, pontificios posse reos agere de permittendis incestuosis conjugis, quandoquidem liquidò probare possunt, leges omnes de gradibus matrimonii, *Levit. 18.* comprehensas, esse

esse naturales; ita ut qui in illas bene considerationem intendat, percepturus sit pudorem naturalem violari, quando iis non paremus: in hocce autem virtutum & virtiorum discrimine grave ipsius conscientiæ pondus est.

Et nullâ alia via adornari potest demonstratio illius rei, quam per interrogationem conscientiæ uniuscujusque, si ex inspectione & consideratione legum *Levit.* 18. comprehensarum, sentiat pudorem suum obsecundare & adstipulari omnibus istis legibus: quando hujusmodi aliquid in se comperit, tunc recte concluditur leges illas juris naturalis dictamen esse, nec tantum ad majorem pudoris genitalis custodiam atq; commendationem eas esse latas; nec eas positivas esse, neque tales quæ exornant gentem, quæ ex talibus legibus vivit, quemadmodum calibatus exornat eos qui à conjugio abstinentiam præstant: aut potius quemadmodum incestus & vestitus singularem modestiam arguens, exornat hominem, & præ cæteris illi decus addit. Neque aliquis putet me rursus ad consensum gentium recurrere, cum provoco ad Christianorum conscientiam, eorumque sensus obtestor, ad id quod dixi de incestu tuendum, cum tamen supra tale argumentum improbaverim: nam non illud argumentum rejeci, quod existimem nullum illius usum esse, sed indicavi illud tale non esse, ut habeat per se suadendi authoritatem, alioquin confirmat magnopere vim argumentorum deductorum ab insitis naturæ principiis. Consensu enim Christianorum, quos ad testimonium citavi, magnopere illustratur quousque vis pudoris naturalis sese diffundat. Quemadmodum ex adverso recte confecerim, pudorem naturalem in quibusdam gentibus periisse, quia in illis nulla illius pudoris compareant indicia. Sed ideo non recte conclusim, nulla in illa gente se produnt signa, & argumenta pudoris in aliis gentibus

bus se prodens non manat à principiis naturæ. Quemadmodum non rectè argumentaveris, gens aliqua, imo totum genus humanum imbutum est aliqua opinione, aut utitur aliquibus moribus, ergo illi mores à naturæ dictamine profecti sunt: sed tunc aliqua vis in illo argumento est, ubi probavi illam consuetudinem niti veris principiis ab hominum natura petitis, & tunc subsequens consuetudo magnum addit pondus argumento ducto à naturæ legibus. Propter hanc rationem existimo Patres in Concilio Wormatiensi habito anno 868. *Can. 32.* non solum rectè statuisse contra incestuosa conjugia, sed etiam vero & demonstrativo argumento usos: cum ita decernunt. *Nulli liceat de propria cognatione, aut consanguinitate uxorem ducere usquedum generationis pudor maneat ex citatus in mente.* Nam hoc tantum probato. Incestum committi in linea recta inter patrem & filiam (quod probatu facile est) rectè ex eodem affectu pudoris conficitur, omnia illa conjugia incestus nomine culpanda, in quibus non habetur ratio genitalis istius pudoris: & peccatum incestus eo magis intenditur; quo propius absumus à primo gradu, in quo etiam majora sui dat indicia, qui minutatim decrescit, quatenus à primo gradu longius recedimus: & istius rei maximè idonei iudices & testes illi sunt, qui pudicè educati & exempli recti, pudorem illum consuetudine improborum nondum detriverunt: & illorum iudicium vim habet boni argumenti: quando nempe ratione probatum est, matrimonia in primo gradu & in linea recta esse incestuosa. Sed redeamus ad institutum & reliqua persequamur: finge probari non posse gradus omnes in casibus supra memoratis lege naturali prohiberi, est tamen pontificiorum causa eo nomine deterior, quod nostri plurimum pudori tribuant; seque magnopere metuentes illarum legum præbeant: nec putant temere



merè ab illis legibus recedendum, quæ ex communi consensu pudori consulunt: & qui pudor, si decuit Judæos, multo magis ille concedet disciplinam Christianorum. Et hoc quidem maximè patrocinetur Reformatorum causæ, quod illa conjugiorum licentia specie necessitatis à Papa concessa, non sequitur per accidens aliquem nostri juris usum; & ideo necessitas illa conjugia hoc nomine à culpa vindicare non potest, si tantillum vitii pudoris naturalis violati & legibus prohibiti illis conjugiiis adhæreat. Neque pontificiis aliquid præsidii est in exemplis inter reformatos proditis: cum illa tantum doceant, quænam fuerint privatorum quorundam judicia super certis quibusdam casibus, non autem quid universim tota illa societas sentiat.

Ut itaque huic disputationi finem imponamus. Dicimus in incestu pudorem violari, eumque pugnare cum jure naturali secundævo; pudorem illum, qui in incestuosis conjugiiis proditur, fundatum esse in vili & homini erubescendo coitus actu; quomodo autem ille pudor sese diffundat ad proximos consanguineos & affines, nunc explanabo. In superioribus probatum est in coitu esse turpitudinem: de eo nobis esse erubescendum; ideo nostri pudoris esse illum actum, quantum in nobis est, tegere & honestare: at quia consanguinitatis gradus ducuntur ab illa copula, in eaque fundati sunt, ideo nulli pudico oritur cogitatio de illo actu, quin aliquo afficiatur pudore. Et cum pietas jubeat reverenter habere parentes, hinc in incestuosis conjugiiis duplicatur pudoris causa: & cum contra illum pudorem aliquid committimus, nos reos agimus pudoris dupliciter violati. Et tacitus ille pudoris sensus ortus ex coitus turpitudine, causa est quare parentes plus verecundantur de rebus venereis sermonem habere coram liberis. Et fratres, qui pudici ingenii sunt, similiter fugiunt

G

de

de illis rebus inter se verba facere. Et quando nondum pri-  
 sci & severiores mores apud Romanos interierant, pro-  
 bro ducebatur, si pater & filius in eodem balneo lavarent  
 Et hodie fratres adulti verentur istam oblectationem una  
 capere. Loquendi etiam ratio, qua utitur Scriptura cum  
 legibus circumscribit matrimonii gradus, idem docet; cau-  
 sam enim prohibitionis quorundam graduum indicat; &  
 vitium incestus in eo consistere dicit, quod in eo dete-  
 gitur nuditas illius, qui proximo consanguinitatis gradu  
 nobis junctus est: quæ manifestò declarant nuditatem eo-  
 rum, qui proximis consanguinitatis gradibus nos attingunt,  
 alium ad nos respectum habere, quam eorum, qui  
 longiore graduum intervallo à nobis absunt. Et maledi-  
 ctionis denunciatio à Deo chamo facta propter violatum  
 pudorem patri debitum, documento est, sanguine proxi-  
 mè junctos habendos pudicè. Et quia mulieri, quæ men-  
 stuis laborat, nova accedit pudendi causa, ad quam &  
 ipsam, & maritum respectum habere decet, ideo violatur  
 pudor quando cum illa consuecit maritus. Neque ego il-  
 lam legem, quæ prohibet coitum cum menstruata, ce-  
 remonialem aut civilem esse arbitror, si ipsa legis substan-  
 tia spectetur, sed naturalem & pudore naturali innixam,  
 ejusque vim obligandi sese diffundere usque ad nos; quem-  
 admodum ratione legis illius non minus quam judæi te-  
 nemur. Et rem studiosè persequenti manifestum erit, nos  
 tacitis sensibus æstimare peccatum impudentiæ augeri, quan-  
 do nova pudendi causa, ad priorem tamquam cumulus  
 accedit; & quando illa nova causa menti debitè obverfa-  
 tur, tunc nos acrioribus pudoris stimulis agi, ad quos, si  
 obdurescimus, ostendimus levem apud nos pudoris jactu-  
 ram esse.

Et ego arbitror illam esse causam, quare homines, qui  
 ali-

alicujus ordinis & loci fuere inter suos, quique illo gradu dejecti; jam fortunâ egentes aut vitâ, turpes sunt, non sustineant ætatem agere in medio suorum civium, sed prospectare exilium, ne habeant necesse subire eorum vultus, quos sciunt memores & conscios pristinæ suæ conditionis. Norunt enim civibus suis duplicem esse causam rapiundi eos in contemptum; & ideo magis verentur civium suorum judicium quam peregrinorum: quarum causarum altera est, ipsa paupertas, & omnibus ornamentis carens vita, altera civium conscientia, qui illum cognoverunt melius quondam à fortunis constitutum fuisse: sicut itaque majori cum ignominia conjunctus est lapsus ex alto fastigio, presertim si nostra culpa ille evenerit, quam vita continuo humiliter transacta, ita hic evenit.

Statuo itaque incestus pugnare cum jure naturali secundo; & eo sensu in eo esse naturalem causam pudendi, eoq; violari illum naturalem pudorem, quem proximè consanguineis debemus: idque propter arctam cognationem cum communi stirpe; à qua per actum precipuè pudendum atq; verendum, nempe venereum, ortum nostrum habemus: & quas verecundiæ notas & causas eo vividius impressas gerimus, quo à communi stirpe propius absumus. Aliâ vitiositatis causam non puto in incestu assignari posse. Qui autè proximè ab Adamo abfuerunt, sine peccato incestuosa conjugia inierunt, quia necessitas, vel potius Dei lex pudoris causâ sustulit. Ita qui ex leviratus lege ducebant uxorē fratris defuncti, vitio carebant, quia lex Dei necessitatis causam habet.

Quicquid autem ex ritu religionis fieri putatur, id sanctum & justum censetur; & quod vitium alias quibusdam rebus insidere putatur, ab iis tollitur, quoties reverentia Numinis nos ad eas perpetrandas impellit. Eti deo non ree aliquis conficeret rem aliquam omnium gentium con-

sensu non fuisse habitam turpem, quia in cultu divino in ea sanctitatem posuerunt. Quemadmodum apud gentes idololatrias prostibula quædam veneri fuere sacra, sicut inter Christianos multarum mulierum virginitas devota est. Neque congruentius ex illo instituto concludas meretricium vitæ institutum & quæstum non fuisse habitum propudiosum, quia in cultu meretrices in pretio & in honore erant, quam convenienter concludas, innocentium necem non fuisse damnatam à gentibus, quia humanas victimas in sacrificiis adhibuerunt. Ita non bene inferas incestus non damnat consensus gentium, neque ab eo natura abhorret, quia in quibusdam casibus putarunt quidam se pietatem colere quando talia contraherent matrimonia: sicut fiebat quando Israelitæ parebant legi de leviratu: aut quando nonnulli ex incestuosis natos conjugii in administratione sacrorum Diis gratiores putarent esse. Sed redeo ad institutum.

Caterum mihi nullum dubium est, quin fratres & sorores proximè ab Adamo descendentes, & tam necessitatis, quam legis causa, crescere est & multiplicamini, inter se conjugia contrahentes, conservarunt illum pudorem, quem sibi mutuò debebant; nisi viles abjectique inter se esse voluissent: sed existentes idonei officii sui interpretes, existimarunt graviorum sibi esse debere Dei legem, quam dictamen pudoris; atque ita puto illos non studio ductos, sed necessitate impulsos ad illa matrimonia venisse. Et ideo simul ac necessitas talium conjugiorum cessavit, naturalis pudor, qui non perierat aut intermortuus erat, debuit naturalem suam vim exercere; & modum præscribere conjugio in gradibus. Nec dubito quin in ætatis mundi primordiis, cum illi adhuc constaret suo integritas, homines ab incestuosis conjugii sese temperarint; & arbitror illo-

illorum usum postea non nisi per aliquod flagitium & culpandæ libidinis instinctu introductum fuisse, donec tandem cum seculis & ætatibus inveteraverit illa consuetudo in quibusdam gentibus; ita ut pudoris nota fuerit in illis planè deleta: & ita illa matrimonia non fugit aut formidavit eorum animus: & illi quidem, in quibus ille pudoris sensus plane erat extinctus (quod an fieri possit nunc non disputo nec definio) impudentiâ strictè dictâ non peccarunt, hoc est pudori non obluclarunt: quamvis alio nomine se reos constituerint. Primos itaque parentes necessitas præcepti excusavit in solidum, alios, quibus nota pudoris perierat, in tantum ea ignorantia culpâ exemit, quantum ignorantia non studio quæsita aut affectata à peccato homines immunes præstare solet.

---

## DE COPULA CARNALI,

sive coitu, ubi

## DESCORTATIONE:

*quæ docetur contra hominis dignitatem committi.*

**S**UPRA docuimus, verecundiam postulare ut pudenda tegantur; illiusque causam esse turpitudinem, quæ est in illis partibus: illam turpitudinem illis partibus inherere propter earum vilem & contemptibilem usum: si itaque illarum partium turpis est aspectus propter usum, in quem comparata sunt, ita ut extra considerationem illius usus, illis nulla infideat turpitudinis (quæ carebunt, quando cælitum statum erimus adepti) multo magis in ipso

G 3

coitu

coitu turpitudine est: juxta axioma communiter receptum propter quod unumquodque est tale illud magis tale est. Licuisse Adamo integro coitum usurpare ex Scriptura constat, an tantum generationis causa id facere fas fuerit, quæri possit? Sed non capio quare delectationis modicæ ergo, Adamo jus non fuerit eo frui. Cum proculdubio illi licuerit in Paradiso omni ciborum copiâ affluentem selectum ciborum facere, & honesta ex eo voluptate frui. Certè nunc, postquam peccatum genus humanum suâ labe infecit, non arbitramur nobis interdictum honestis voluptatibus, quæ capiuntur ex potus, cibi, veneris, & divitiarum usu: filius hominis venit edens & bibens: ergo in esu & potu plus sibi indulgit quam Johannes Bapstista, *Mth. 11. 19.* Diaconi ne sint dediti vino multo, ergo ad oblectationem modicus illis vini usus est concessus Vide, *Tit. 2. 28. Deut. 14. 26. Eccles. 2. 24. & 3. 4, 12.* Sed id quod habetur, *1 Cor. 7. vers. 7.* omnem dubitandi causam tollit: illic enim coitus, incontinentiæ, & non tantum liberorum quærendorum causa conceditur fidei, Agnoscimus equidem inter omnes functiones corporis animalis nullas reperiri, quæ alieniores sunt ab hominis dignitate, in qua à natura est constitutus est, magisque ludibrio & despectui hominum sint oppositæ: & ideo in omnibus rebus, quæ ad illum actum referuntur cura pudoris precipuè vigilat & præsidet: propterea sponte judicamus hominibus glorificatis, aut ad summum sanctitatis & dignitatis gradum provectis, concubitum non convenire; & ideo gentes, quibus mens non erat omnino lava, redarguerunt eos, qui summum bonum constituebant in fruitione illarum voluptatum, quarum nos aliquo modo pudet. Propter has rationes etiam statuo calibatam cæteris paribus, & modò illi, qui illum amplexi sunt, tentationibus sunt superiores, digno-

digniore, (non dico sanctiore) statu conjugatorum: quemadmodum coelitus dignitas eo etiam continetur, quod nec edunt nec bibunt & angelis similes sunt. Porro cum coitus, actus adeo vilis & abjectus sit, & tamen ejus appetitum natura hominibus ingenuerit, & homines, pudore duce & magistro, rationes invenerint, quibus partes corporis, quæ ad illum actum comparatæ sunt, aliquo decore ornent, aut saltem à pudore liberent, eas tegendo & studiosius exornando; ita eodem pudore duce, cohonestandi coitus causa, latebras & secessum quærunt, quando illo uti lubet; quia ad illum actum minor est verecundia cum absunt ab oculis hominum: sed ea cautio & cura illum actum non plane à vitio liberat, quamvis ab impudentiæ crimine cum imminem præstet; est enim aliud præterea in illo actu, quod contra hominis dignitatem est, si ille non vestiatur aliqua circumstantia, quæ ita extollitur ut sine læsione suæ dignitatis ab eo usurpari possit. Et ideo scortationem peccatum esse dicimus; & tale, quod cum hominis dignitate; & præsertim mulieris pugnet: & cujus copula vir extra conjugium frui non potest, quin naturalem ejus dignitatem, quam tueri quisque tenetur, immi- nuat, & proculcet. Ad quod explicandum & probandum nunc disputationem conferemus.

Apostolus 1 Cor. 6. vers. 13. dicit *escas ventri destinatas esse, & ventrem escis, Deum autem & hunc & eas aboliturum: corpus autem non scortatori sed Domino, & Dominum corpori. Deum autem & Dominum suscitaturum & nos potentia: additque, an ignoratis corpora vestra esse membra Christi? Non igitur tollens membra Christi, faciam ut sint scorti membra? Absit. An ignoratis, eum qui agglutinatur scorto esse unum corpus cum scorto, erunt enim quæ duo erant, in carne una, qui vere agglutinatur Domino unus cum eo est spiritus:*

*Spiritus : fugite scortationem , omne peccatum , quod fecerit homo extra corpus est , sed qui scortatur in proprium corpus peccat . An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti , qui est in vobis , quem habetis à Deo , neque vos estis vestri juris .* Omnia quæ hisce verbis continentur ad vivum reſecare ab inſtituto alienum foret : Hæc tamen ab Apoſtolo in iis apertè tradi puto . Coitum longe aliis circumſcribi & regi legibus quam nutritionem , cum nutritione corporis , cui venter tamquam organum ſuccenturiatur ; & cujus uſum juvat , ita comparatum eſt , ut quem fames aut ſitis urgeat , ei fas ſit iſti appetitui obſequi & ſatisfacere , ſuperhabito ciborum diſcrimine , modo in iis deliciis ſibi non faciat : quia tantum abeſt ut ciborum & potus uſu & voluptate , quæ ex illo uſu capitur , terminetur hominis beatitudo ; aut ejus excelsus , ad quem vocatus eſt , ſtatus , ut ex adverſo , temporis & infirmitatis naturalis cauſa , earum rerum ſit tantum uſus ; ita ut iis amplius locus futurus non ſit , ubi homo ſperatum dignitatis gradum fuerit aſſecutus : tunc enim Deus & ventrem ( hoc eſt animaleſ ejus functionem ) & cibum deſtruet & abolebit : ita venter non aſſicitur probro aut de decore ſi homo eo utatur ad cibum in illum demittendum , nec cibus , ſi eo utatur ad ſatiandum ventrem . At coitus non eſt eadem ratio , ut illis , quos ejus libido ſtimulat , vaga venere uti liceat ; ita ut cuivis obviæ ad explendum veneris appetitum ſefe applicare fas ſit ; quemadmodum ſine ſelectu obviis cibus , quibus delectamur , uti licet . Sed inculcat Apoſtulus , coitu contineri , eoque complicari vinculum , quo maris & ſœminæ , qui in hoc opere mutuam ſibi præſtant operam , corpora in unum coaleſcunt corpus , & mutuo amore ita conglutinantur , ut ſit non tam corporis , quam animorum conjunctionio ; & ita non tam libidinis cauſa mulierem appetat , quam



quam ejus possidende, ut pote quam amat tamquam se alteram; quâ etiam ideo nihil copulatius, nihil amabilius in natura: quæ ratio si non dominetur in appetitu fruendæ mulieris, tunc vir scortatur; tum quod vilem & abjectum corporis actum non reddit decorum per conjugium, juxta quod Apostolus docet, *matrimonium esse honestum inter omnes, Heb. 13.* cum etiam, quia tunc foeminam non reverenter habet ut decet, sed illius corpore, tamquam instrumento actionis, quæ extra matrimonium turpissima est, abutitur. Quæ ratio à parte mulieris æquè constat, & subsistit quam à parte viri: cum hoc tamen discrimine, quod quandoquidem foemina propter sexus infirmitatem non possit sibi comparare ornamenta vitæ, quibus abjectissimus ille veneris actus magnopere extollatur aut saltem tegatur, tanto longius abesse debet ad admittendum in suo corpore illud probrum, quanto minus instructa est aliis ornamentis, quibus illud probrum elevare, aut imminuere possit, & ita contemptum per copiam aliorum ornamentorum à se amoliri: convenienter iis, quæ supra tradidimus, ubi diximus multa in viris condonari, quibus mulier sine insigni impudentia non utitur: nempe quia vir in superiore conditione ponitur. Decet itaque mulieres precipuè omnem suum conatum & studium ad honestatem conferre; quia cum sint nullâ spe rerum gerendarum, illi neglectui esse non debet, quo unice estimationem suam tueri possunt; quodque natura illi ferme solum ad decus concessit. Eadem ratio est quare Apostolus, *1 Cor. 7.* mulieribus concedere videtur curam & studium externis allecamentis & ornamentis viri gratiam sibi conciliandi, & ad id undique honestas suavitates conquirendi: sicut etiam in omnibus virginibus toleratur, quod paulo morosiores sint circa curam corporis, quo nonnihil forme suæ

H

leoci-

leocinentur, quia omnibus ferme domesticis aut publicis ornamentis privatae, quibus sibi hominum, & praesertim virorum aestimationem parent, putantur honestius sibi posse indulgere in cura corporis, quam quidem viros concedet.

Quibus accedit, quod praecipua & prima foeminae gloria & decus sit à viro dignam aestimari, quae assumatur ad arctum illud conjugale vinculum, per quod participat de dignitate viri: & nihil ab ea committi potest, quo longius abest ab illa dignitate, quam si aliter quam juxta matrimonii leges cum viro consuescat: tunc enim se praebet instrumentum & famulam abjectissimae & turpissimae actionis; tantum abest, quod eâ copulâ veniret in partem & societatem dignitatis mariti. Nam quemadmodum Apostolus docet, virum & mulierem, si per copulam mutuò jungantur, fieri unam carnem: quando nempe matrimonium, quod individua vitae societatem complectitur, intercessit, ita per conditionem partium contrahentium mulier extollitur, & vir suam dignitatem cum muliere communicat: contra, si contractus matrimonialis non intercesserit, turpiter fit capula, & illi conciliatur illud vitium, quod scortationem vocamus: qua vir actionem per se vilem & abjectam cumulat novo probo, & mulier se prodigam praebet illius rei, qua nihil ipsi debet esse prius & antiquius, fitque vile scortum, vitâ turpis, & omni aestimatione damnata.

Quibus accedit, quod cum viro insitum sit foeminam appetere (quid est enim omninò usquam quod homo masculus libentius videre debeat quam bellam uxorem) facillime etiam prolabitur libidinis instinctu ad capiendam veneris delectationem cum muliere extra matrimonium; & quia maximè mulieris dignitatem immunuit ita corporis sui usuram praebere viro, ideo omni cura ad vigilare debet

debet animumque intendere, ut à pudicis & castis moribus se viro probet; nec occasionem illi præbeat cogitandi aut suspicandi quod in se aliquid turpiter atque sædè admittere possit. Et quem admodum mulieris plurimum interest amoliri à se omnem contemptum, qui occasione concupitæ copulæ facile oritur, ita ex adverso niti debet ut ille appetitus decoretur & honestetur quam maximè: quales sunt ambitus honesti matrimonii: matrimonium cum dignitate contractum (cujus gratia ex omnium gentium instituto obtinet, ut ornandi matrimonii causa solemniter nuptiæ celebrarentur) amor castus & honestus viri, ostendens à se expeti mulierem quam deperit magis animorum conjunctionis causa, quam corporis; sequæ eam sectari & amplexari, non veneræ voluptatis ergo, sed tamquam vitæ sociam; & quam ut se alteram amat, & quæ ita sibi tamquam dimidium sui in æstimatione sit: ut qui peccaret, si eam alio ordine atque loco haberet; & qui in ipso conjugio se scortationis reum faceret, si illa verecundè & reverenter à se non haberetur, cum quia omnis copula turpis & in ignominiam conjugatorum vertitur, quando illa exercetur sine illo animo, quem conjugati sibi invicem debent; tum quia illa semper sæda, si non extollatur rebus, decus & honestatem illi addentibus: in quibus inter alias est amor ille conjugalis, qui tot præclara inter conjuges parit munera vitæ, ut luce carere malint quam illis privari. Et quamvis matrimonium non nisi copula interveniente (actione vitæ animalis abjectissimâ) consistat, complectitur tamen in se tot sanctas leges & officia; habetque ille status tot opportunitates magnarum virtutum exercendarum; ut si singuli vir & mulier suis fungantur partibus, status matrimonialis sit verè benedictus; & ita sanctificatur honestis finibus, quos pii conjuges sibi in matrimonio pro-

ponunt, ut liberi, nati ex tali matrimonio juxta primas & sanctissimas leges celebrato, semen Dei vocentur *Mateachi cap. 2.* Et si vitio non vacat copularum reverenter in ipso matrimonio exercita, quantoperè intenditur istius vitii magnitudo, quando extra matrimonium, libidinis solius causa, per abusum corporis mulieris, & per prodicionem suæ dignitatis ille coitus celebratur.

Ex præcedentibus se prodit ratio, quare sexum muliebrem multa non deceant, quæ si à viris usurpentur, ipsos non dehonestent. Vir dignitate & excellentia muliere prior est, utpote illius caput: ea dignitate vitat sui contemptum, qui nasceretur in animis eorum, in quorum medio vivit, si ea ornamenta & vitæ decora non possideret. Ita in incessu, motu, & flexu corporis, in potus & cibi sumptione, alvi & vesicæ exoneratione, in colloquiis & sermonibus, & præsertim in iis, quæ de rebus venereis habentur, & de illis quæ iis affinia sunt, multa sibi largiuntur viri sine probro, in quibus si mulieres sibi indulgerent; & cum viris se exæquarent, parum pudentes haberentur. Id autem hæc ratione evenit. Cum homines, aliorum vitæ instituta tacita animorum opinione æstimantes, mores virorum intuentur, simul clam menti eorum sese insinuat virilis sexus dignitas; fitque ut id, quod in virorum moribus deflectere videatur à severis modestiæ & honestatis legibus, vitiosum non putetur, quia illud viri dignitate compensatur. Ex hoc discrimine dignitatis inter virum & mulierem, natæ sunt illæ consuetudines & leges (quæ ferme in omnes gentes manarunt) quibus vir plus sibi juris vindicavit in uxorem, quam uxori permisit in se, neque jura matrimonii ab utraque parte paria habuerit; sed concessit uxori minus juris in corpus suum, quam sibi sumpsit in corpus uxoris. Id jure an injuria factum sit suo loco examinabitur. Facile mihi possum

possum persuadere mulierem, quæ propter sexus sui infirmitatem (propter quam Apostolus eas vocat vasa fragilia) injuriis opportunior est, facile multa pati & subire coactam, ad quæ tamen propter viri supra se eminentem dignitatem non tenebatur; sed virum propter excellentiam sui sexus, quæ etiam æquiorè jure est quam mulier, proniorem fuisse ad abutendum jure suo; & ad peccandum in illam partem, quæ plus æquo potestatem suam in mulierem auget, & ita leges & instituta conjugii primum instituta perfringeret: quo evenit, ut contra jura quæ uxori cum marito paria erant, leges & malæ consuetudines invalerent, quæ modum ex cedebant, & iniquæ atque mulieri graves erant; sed has ad amissim examinare, aut membratim enumerare tædiosum foret.

Intelligit jam lector ex quibus fundamentis existimem probandum, scortationem esse peccatum; & omnem copulam extra matrimonium turpiter committi. Alii ex aliis causis, quam quæ à violatione dignitatis naturalis hominis petitur, illam actionem peccati arguunt; putantque scortationem ideo in peccatorum numero ponendam, quia in ea non habetur ratio educandæ prolis. Alii existimant omnem copulam, quæ non fit prolis procreandæ causa, peccatum esse. Sed ego arbitror illas sententias longe à vero abesse: nam si ideo scortatio esset peccatum, quia in ea non potest haberi ratio alendæ prolis, foret omnis coitus lege naturali licitus, ubi cautum & provisum esset de alenda prole. Possent itaque vir & vaga libidine uti, & mulier suum corpus in vulgus dare, quando spes non est prolifici coitus; atque ita curæ tollendæ prolis locus non sit: Possent mulier locuples & affluens divitiis, quæ copiam & facultatem habet multorum liberorum alendorum sese quotidianis nuptiis oblectare. Possent sese præbere

vas vilissimum in quo vir libidinem suam expleat, nec tamen in suam dignitatem peccare, quemadmodum aliquis motulâ non indignè utitur si in illam minxerit. Quis hæc probare posset, nisi qui sit præmortui pudoris, & projectus ad omne nefas? Posita enim hac sententia, quod stuprum & quæ libido se non proripiet & projiciet? Neq; altera mihi magis probatur, quia tunc contra, ubi nulla esset prolificandi spes, ubi omnis coitus esset interdictus. Qui ita rationes suas instituunt, probare debent, appetitum cocundi extra prolis acquirendæ studium esse flagitiosum. Puto autem me in superioribus abunde probasse, appetitum illum comitari statum naturalem & animale, & quem appetitum Deus ingenit primis parentibus adhuc integris; eumq; ideo non magis suo nomine & propter se esse culpandum, quam potus & cibi desiderium; & ita utrique eodem jure satisfieri. Vilem & abjectum illum esse agnoscimus, & ideo consideratè eo utendum esse lubenter concedimus, eumque qui animo & corpore ab eo abstinet & se temperat Decus & magnificentum quid sectari; & ideo coitum non solemus ferre in eo, qui est perfectæ cumulataque virtutis.

Iis, quæ de scortatione in medium protulimus, non derogatur fides, quod Historici referunt in quibusdam nationibus copulam extra conjugium honori duci; imo inter hospitalitatis officia numerari uxores & virgines hospitibus utendas dare. Præterea olim in Assyriorum imperio cultum, atque religionem invaluisse, quo virgines ordine in templo Bel vel Baal collocatæ, ex ponebantur viris, qui eas ad concubitum expeterent; eamque æstimatam beatiorem, meliorisque sortis, quæ prima fuisset concupita. Notum præterea Veneris sacra in Cypro non aliter constituisse, quam stupratione virginum & meretricio quæstu. Et alibi extitum extitisse templû, in quo supinum jacet simulachrum,

quod

quod in se formam penis habet, cui virgo admovetur, quæ illi simulachro incubat, colligunturque destillantes virginei sanguinis guttæ, quibus massa subigitur, de qua, qui comedit, sanctus habetur. Illa puella quidem nunquam viro nubit, sed corpore quæstum facit, cujus pars altera alimento puellæ, altera vero ejusdem templi ministris cedit: facit autem quæstuni immensum, quia quicumque cum illa rem habet æterni sanctus habetur. Dico omnes hujusmodi consuetudines non impedire, quare omnis copula extra conjugium non sit turpis: præter hominis dignitatem; & contra primum naturæ institutum: nam non tantum hac in re, sed in infinitis aliis homines à primis & pristinis honesti & decori dictatis disciverunt, & libidine atque superstitione transversi acti, laudem & gloriam, imo numinis cultum in rebus turpibus collocarunt; ita ut religionem non coluerint, nisi eam prius scelere violassent. Quid mirum itaque homines quosdam in eo errore versari, ut putent illud dedecus & probrum, quod omni scortationi naturaliter adhæret, posse converti ad gloriam, quando arbitrantur se hujusmodi ceremonia posse testari erga Deum, quem colunt, suam pietatem & reverentiam: qua de re supra loquuti sumus. Sed probandum est, exemplis & ratione scortationem à recta ratione non esse alienam: turpitudinem in se non continere: mulierem ea nihil indignum committere: virum non abuti muliere, quando explendæ libidinis causa, non cogitans de animorum conjunctione, & de individua vitæ societate, appetit uxorem, quæ ad Dei imaginem creata est æque ac vir; quæquæ ita in eadem cum illo consistit dignitate naturali; quæ ideo tam parum quam viri dignitas illam labem sustinere potest. Illi qui à nobis dissentiant, pari jure & ratione tueri poterunt, homini indidorum non esse, neque ejus dignitati naturali adversum,

im-

imponere sibi personam stulti; eamque sermone & gestibus agere. Vel potius ab hominis dignitate alienum non esse, magnis poculis ingenium suum ingurgitare, & ebriitate rationis usu se privare. Quæ omnia committuntur contra naturalem hominis dignitatem in creatione illi collatam; etiam homini integro & corrupto convenientem: & quæ non peccati occasione, quemadmodum vitiis, quibus contra pudorem itur, jure naturali secundo locus factus est; quæque ideo non sunt peccata per se, sed naturalis metus ignominæ, quæ à proximi judicio nobis ostentatur, peccati & turpitudinis notam illis addit: scortatio inquam non eo nomine peccatum est, sed jure naturali primo: & quamvis eam Deum hominesque celare possimus, non sineret esse peccatum, quod nulla necessitas unquam excusat; quodque jure naturali, ducto ab hominis integra natura, prohibetur.

Si in scortatione peccatum est, res non potest habere dubitationem, quin ea omnia quæ cum scortatione sunt cognata, quæque eò dicunt, de hoc vitio participant. Dubium de iis super esse posset, qui nec donum continentie habent, nec conjugii facultatem, an iis Deus non indulserit aliud subsidium sese expediendi & liberandi à veneris stimulis? Respondemus, quandoquidem coitus extra matrimonium in se continet turpitudinem, & corpus hominis dehonestat, qui tamen exeritur secundum naturam, proculdubio turpius adhuc est, carnis libidini obsequi ratione & modo, qui à natura deviat. Et existimo ex hoc capite illum libidinis actum vitii damnandum. Scio quosdam aliter sentire; & vitiositatem istius actionis ex seminis corruptione, & hominis quasi perditione, ad cujus generationem hoc semen confectum & elaboratum à natura est. Sed ego illos in eo falsos animo esse puto: quia  
tunc



tunc eodem jure damnaveris omnes improlicos coitus, quales sunt eorum, quorum ætas decursa est, aut qui cum uxore gravida consuescunt; quorum tamen concubitus licitos & concessos judicant.

Quid de peccato sodomitico, quod singulari ratione contra naturam fieri dicunt, dicendum sit, paucis absolvam: cum peccati istius foeditas jubeat deproperare istum sermonem. In hoc peccato examinandum venit, quid sit aliquid facere contra naturam? Quod quidem jam inquiremus. Generatim homines per naturam intelligunt legem illam universi, qua causæ & effectus naturales continentur. Per causas naturales intelligo non solum illas causas quæ necessariò agunt & causæ physicæ volgò vocantur, sed etiam illas, quas causas morales vocamus, sed quæ à corporis insitis & naturalibus motionibus impetum suum mutantur: ita coitum hominis naturalem vocamus, quia corporis naturalis constitutio, maturescente ætate, hominem ad illum actum stimulat; quamvis non nisi hominis voluntate interveniente exerceatur. De causis & effectibus naturalibus, qui necessariò agunt hic dicere nihil attinet, cum à quæstione, in cujus disquisitione versamur, illud alienum atque remotum sit. Leges naturæ secundi generis sunt in duplici differentia, quia aliæ sunt illæ, quas, ni fallor, Juristæ vocant illud jus naturale, quod natura omnia animantia docuit, quatenus in animalibus eorum vestigia cernimus, quia instinctu naturæ, hoc est legibus corporis sui, ad obeunda quædam, ut ita dicam, munera impelluntur, ad quæ etiam homines, si naturæ ductui per malitiam refragari nolint, interveniente sua voluntate, ducuntur; & inde natum illud: quod doctis ratio, illud natura feris præscribit: & inde dicitur, aliud naturæ accommodatum, aliud alienum. Qualia sunt sui defensio, concu-

I

bitus

bitus maris cum foemina, & quidem cum una, quia in quibusdam animalibus eam continentiam, & conjugii effigiem se observare putant: eodem referunt nonnulli incestus, quos contra naturam fieri arbitrantur, & putant se nonnulla observasse exempla, quibus constat etiam bruta refugisse congressus cum matribus: huc etiam revocant educationem liberorum, eorumque curam & tutelam &c. & quæ sunt hujusmodi. Verène an falsò, convenienter an alienè hæc à Juris doctoribus dicantur non disputo: sed eorum usus hic est, ut magis in aperto ponatur differentia duplicis juris naturalis, contra quod aliqua fieri & perpetrari dicuntur, unum est de quo loquuntur juris Doctores in sua institutione juris: sed ad hoc jus non attenditur, quando agitur de peccatis, quæ contra naturam fieri dicimus; & muta peccata vocare solemus: quia ea est illorum obscænitatis & turpitudinis, ut non modo nullo modo per ulla circumstantias cohonestari possint, sed quia in totum ita turpia sunt, ut nulla verba reperire liceat, quibus illud peccatum per aliquam ejus circumstantiam designatum & notatum, hominis sensui insinuetur, quæ non incestent castas mentes & aures. In superioribus indicavimus, quare quædam voces sint turpes & obscænx, & quare quasdam actiones propriis suis vocibus & vocabulis exprimere non deceat, quæ hic repetere non est opus, sed sufficit eorum memoriam lectori excitasse. Hæc quidem ratio est, quare dicantur peccata muta, & ita quidem ea consideratio nos informat illorum peccatorum eam esse naturam, ut ad libidinem veneream pertineant: cujus ratio est, ut illius actus directi & formales honestè nominari non possint: sed ideo nondum constat quare illæ monstrosæ libidines dicantur esse contra naturam; & quare tantum in illis sit flagitium. Non quidem est dubium, quin hominis,

nis, maris & fœminæ naturæ, corporis membrorumque generationi dicatorum, & appetituum utriusque in mutuos complexus consideratio nos doceat, peccata sodomitica ire contra id quò nos ducat natura; & ita omnium eorum quæ illa peccata complent, usum, esse contra naturam. Sed estne usus membrorum contra naturam, peccatum, & quidem tantum, quale sodomiticum esse perhibemus? Os & stomachus, gula & œsophagus, facta sunt ad hominem nutriendum; & nos docent & ducunt ad sumenda alimenta per os; & ad ea deglutienda & demittenda in stomachum, sed an ideo tantum nefas est hominem nutrire per clysteres; quemadmodum medici quidam in magnis morbis talem clysterum usum commendant? Aut an peccatum contra naturam esset, infusione lactis in venas hominem nutrire & refocillare, quia natura alia nutritionis & sanguificationis organa fabricavit: fabrica humani corporis talis est, ut cibus per os sumptus & in stomachum demissus per alvum excernatur, estne tantum crimen destinato vomitu illum rejicere per os? Theologi docent loquelam homini datam ad exprimendos animi sensus, & contra naturalem usum loquellæ esse, si quid aliud mente premat, quam verbis declarat, mendacium tamen longè abesse putant à mutis peccatis: pedes nobis ad incedendum dati, & manus, utpote organorum omnium prima ad machinationes & artes: fuitne ideo flagitium in illo misero, qui à primo ortu brachiis carens, pedibus multorum artificum manuum industriam æmulabatur? Et an is peccatum contra naturam committit, qui manibus, vice linguæ, utitur ad sua cogitata proximo declaranda? Ut itaque ratio formalis istorum flagitiorum nobis constet, alia ad hæc addenda sunt.

In superioribus tradidimus quædam peccata, etiam, co-

rum, quæ vulgò ad inordinatos venereos actus refert, fieri contra pudorem, quædam contra dignitatem naturalem. Contra dignitatem hominis V: gratia, sunt ebrietas, intemperantia in potu & esca, simulatio stulti, aut stulti personæ representatio in ludis scenicis, scortatio, &c. Contra pudorem naturalem sunt incestus, & omnes actus libidinosi, in quibus decorum naturale non conservatur, ejusque non habetur ratio: quò etiam soleo referre congressum cum menstruata, quia mulier in tali casu novum subire pudorem debet. At in peccatis illis mutis, contra dignitatem naturalem & pudorem simul peccatur, idque in gradu extremo: quod lectori potius tacitâ mente æstimandum relinquimus quam verbis explanare lubet. Sed illud hujus peccati foeditatem supra omnia declarat & in aperto ponit, quod in illis est non solum totalis aberratio à naturæ legibus, sed inflexio naturæ contra illas leges, nulla, ne inordinata quidem animi aut corporis naturali dispositione, & cui virtus modum ponere debet, hominem eò transversum agente. Vindicta illegitima peccatum est, sed tale, ad quod homo naturali iræ commotione, & quam virtutis est moderari, se proripit. Sic avaritia peccatum est, sed ad quod homo prolabitur illo instinctu naturali, quo nostri conservationi studemus, cui divitiæ multas prebent opportunitates & facultates. Mater quæ infanticidium committit, et si nihil magis contra naturam esse putetur quam crudelis esse in sanguinè, tamen aut metu infamiæ, aut paupertate, aut alia aliqua spe impulsâ illud flagitium aggreditur: saltem nunquam auditum aliquam sceleris ipsius & crudelitatis exercendæ causa tale flagium animo concepisse. Et si per singula peccata ire vacaret, facile esset in gravissimis peccatis ostendere aliquam passionem aut dispositionem naturalem in iis ita partem suam vindicare, ut hominis malitia iis tamquam instru-

mento

mento utatur; & sine quibus in homine, qui ad id malitiæ nondum est progressus, ut gratuitò malus sit, vitium torpesceret: At in hoc infando peccato non solum nulla animi affectio aut corporis dispositio (sed vitio hominis corrupta) se prodit, sed omnia quæ illud comitantur, naturæ propensionem innatam subvertunt, ita ut in eo peccato, natura destinatò oppugnetur: nullam aliam ob causam, quam ut libidini, perditam voluntate & opinione, nullo naturali motu nos eò ducente, susceptæ, pareamus: quod lector facile animo & cogitatione comprehendit. Estque inde etiam æstimanda istius peccati magnitudo, quod in eo in omnibus circumstantiis contra naturales inclinationes eatur. Qui nocens affligitur, & tamen aut vindictam parat, aut convicia retorquet, gravius peccat eo, qui innocens in ea peccata prolabitur: qui amicum, eo qui inimicum, qui parentes quam qui peregrinum: qui humanitatis officia non præstat parentibus, aut aliis bene de nobis meritis gravius peccat iis, qui eadem illa officia iis non præstat, qui nullo consuetudinis aut officiorum vinculo nobis conjuncti sunt. Quæ hic causa ita æstimandi de peccatis! Nulla certe alia, quam quia in uno peccato major vis infertur rationi, & rebus quibus voluntas duci solet, quam in alio: ita existimarem mulierẽ gravius peccare quæ in scortationem prolabitur quam virum: quia pudor in muliere major, quem expugnare debet priusquam illi vitio se corrupendum det; à qua expugnatione pudoris in hoc casu petenda est magnitudo peccati. At in peccatis contra naturam, quot illic pudores ejiciendi? Quot propensiones naturales retundendæ? Iimo ad quod non cogenda natura, à quo sponte sua abhorret: & si odio dignos multos putamus, qui tantum quodam motu aut statu videntur naturæ legem & modũ contempsisse, quid igitur judicandum de hoc peccato, quo tota naturæ lex subvertitur; ita ut in illo peccato omnium fæditatum & turpitudinum cumulus sit. Et illi ideo meritò

ex numero hominum sint ejiciendi, & novissima exemplâ meriti, qui ad infandum illud flagitium sese proripiunt & jura naturæ inexpiabili scelere polluunt: & averſa atque adverſa, ſupera & infera eodem jure habent. Plura non addam, nec perſequar eam copiam quam poſſem: quia ſunt iſtæ ita tetra, ut ea fugiat atque reformidet oratio. Exempla autem in ſuperioribus prolata, quibus uſus naturalis partium phyſicus; & in quibus nulla heret turpitudô, quia ad venerem non pertinent à primo naturæ inſtituto deſectit, hic aliena ſunt: quia ex antediſtis liquet, pudorem, de quo jam eſt ſermo, tantum verſari in duobus, in iis, quæ cum actu venero cognata ſunt, & in iis quæ contra dignitatem hominis, propriè ſic dictam, committuntur. Uſurpatio partium naturalium aliena à primo ſuo uſu, qualis in exemplis ſupra memoratis facta eſt mentio, non eſt ponenda in vitio, quia in illa nihil committitur contra pudorem naturalem: neque aliquid in ea culpandum, ſi oſtendi non poſſit, eâ hominis dignitatem naturalem immi-  
nui.

## D I G R E S S I O

## DE VOTO CÆLIBATUS.

QUoniam ordo ſermonis nos deducit ad conſiderationem cælibatus, & ad illi oppoſitam matrimonii naturam examinandam, operæ pretium me facturum arbitror, ſi de voto cælibatus hic verba faciam, quia ex illius examine magis manifeſta ſient, ea quæ in ſequentibus diſcenda habemus de conjugio & de iis quæ illis cognata ſunt.

I x

Ex iis, quæ supra in medium prolata sunt, existimo liquere coitum legitimum sua natura vitiosum non esse; cum tamen tantum legitimum esse, qui eo animo suscipitur ut sibi uniat foeminam in perpetuam vitæ societatem: matrimonium itaque multa pulchra in se complecti, & per illud contemptibilem venereum actum extolli atque decorari; ita puto nos in aperto posuisse, illum actum inter omnes functiones, quæ cum statu animalis hominis connexæ sunt, esse abjectissimum; eumque, cui à Deo concessum est domum abstinendi à coitu, se tantum extollere super alios, quantum eorum status excelsior & dignior est, qui minus obnoxii sunt necessitati defungendi muneribus corporis animalis & terrestri. Quemadmodum dubitationem non habet, quin reliquis hominibus dignitate præcellat, qui liberatus à necessitate edendi & bibendi, & reliquorum, quæ illas functiones consequuntur; atque ita illis partibus jam vitæ spiritualis & cœlestis gloriæ est factus particeps. Nunc de eo accuratius oportet exquirere, qua dignitatione ille status sit habendus; & quando, atque quomodo pro illo vota nuncupanda sint. Momenta, ex quibus pendet dignitas alicujus status, aut pretium virtutis ex tribus præcipuè æstimatur. Primum est, quantopere Dei honoris intersit, ut aliquid fiat, secundum, quantopere illa res cedat in bonum proximi: tertium, quid boni & commodi inde ad nos redundet. Deus per ipsum cœlibatum in se spectatum non magnopere honore afficitur, quia cœlibatu continetur tantum excellentiæ dignitatis humanæ gradus, qui per se non est virtus, sed argumentum sanctitatis vitæ, quæ agitur convenienter illi statui: quemadmodum emendati mores & vita politior & cum nitore, non tam virtutes sunt, quam argumenta, homini suam pudicitiam & custodiam suæ dignitatis cordi esse; seque cam quasi

quasi semper in oculis habere; suntque illi mores, qui deficiunt à disciplina politioris ævi, tunc tantum culpandi, cum exercentur in medio hominum, quos intelligimus istis agrestibus moribus offendi posse; & iis ita aliquam nostræ dignitatis jacturam fieri: nam quemadmodum justitiæ partes sunt non violare hominem, ita verecundiæ non offendere. Ita cælibatus non tam virtus est, quam documentum hominis ad summa aspirantis, & vitæ animalis partes cum tædio obeuntis: & qui status ideo illi decorus, qui toto vitæ curriculo enititur ad summa, & nil nisi cælestia spirat & cogitat. Quantum ad ea, quæ proximum spectant, potest is sine magno damno carere utilitatibus, quæ manant à cœlibatu: quia ad communem usum in aspectum & lucem nihil ferme profert. Nam quemadmodum Apostolus, *1. Cor. 13.* virtutum christianarum, quæ ad proximum pertinent, magnitudinem æstimat ex fructu, qui ad proximum ex illo se diffundunt, facile intelligimus in cælibatu non magnam virtutem versari, quia inde non magni fructus perveniunt ad proximum. Exemplum, quo illi, qui voto cælibatus sese obstrinxere, nos possunt invitare ad sui imitationem, non potest permanere ad multos, tum quia (ut infra docebitur) non est in cujusvis potestate ad hujusmodi vota properare, cum etiam, quia exemplum non est magnopere efficax, quia tantum iis proditur ad emulandum idem decus, qui totâ vitâ singulari sanctitate prælucent; & quibus cælibatus tantum honor est, & cumulus perfectionis: at quam pauci reperiuntur, qui eos in pietate progressas fecere, ut cælibatus tanquam perfectionis cumulus tantum in iis desideretur: quia sc. hominem segregat ab eo foeminæ consortio, quod homines tam exaggeratis virtutibus, quique ideo sui potentes putantur, parum decet. Quorum autem vita divortit ab illa excellenti pietate, nec  
respon-



respondent reliquæ partes illi singulari sanctimonix, cuius votum cælibatus fidem facit; & spe præluceat, iis cælibatus votum probro est, & tam parum conveniens quam annulus aureus in naribus porci. Et ideo. Apostolus tales exhortatur ad conjugium, 1 *Timoth.* 14. Scriptura certè de cælibatu loquitur ut de re ferme indifferenti: & si illi statui quasdam prærogativas attribuit, & cum conjugio ad honorem antecellere, eas cælibatus non tam in se possidet, quam propter quasdam opportunitates, quas habet certis temporibus: vide, 1 *Cor.* 7. 1 *Timoth.* 5. 14. Et quandoquidem Apostolus docet matrimonium esse honestum inter omnes, & cælibatum honestum quidem esse castis mente & corpore, attamen eos suæ dignitati non deesse, si nihilominus matrimonium incant, 1 *Cor.* 7. *vers.* 36. 38. 1 *Cor.* 9. 5. lectori æstimandum relinquo quod cælibum sit fastigium aut arrogantia? Et an multa habeant super conjugatos in quibus se jactent; etiam illi, qui tenere se & moderari possunt.

Pergamus nunc ad ipsum votum cælibatus. Vota concipiuntur, aut de iis rebus, quæ absolutè imperantur & lege præscribuntur; & quarum nullus sibi gratiam facere potest: aut de iis, quæ legibus scita & constituta non sunt, sed quæ sunt hujusmodi, ut sub voluntatem & arbitrium cadant nec veniant in officium singulorum hominum quovis tempore, & in his posterioribus vota, consilia, opera supererogatoria pontificiorum occupantur, de quibus in superioribus ad rei necessitudinē dictum est. De rebus, quæ absolutè imperantur non multa dicā, cum ad rem nihil attinet, & re ipsa vota propriè dicta de quibus in presenti tamen est captus haberi sermo, circa eas non versantur, atq; ita votorum ratio non multum ex earū elucidatione illustrari possit. Venire autem illa hominis officia, quamvis necessariò suscepta, etiam votorum nomine: quia pii & virtutis studiosi, cum intelligunt se lege

K

qui-

quidem teneri ad illa officia præstanda, sibi tamen votis & promissis de novo conceptis stimulum & animum addunt ut acius incumbant & officium intendant in id, ad quod jam tenebantur. De tali voto vide *Genes.* 28. 20. ubi Jacob vovet, Deum, qui sibi apparuerat, fore posthac sibi in Deum, quamvis ante votum conceptum Deus Abrahami & Jacobi vim numinis apud eum habere debebat.

Ad vera vota quod attinet, facile consentient pontificii, non rectè ea concipi de rebus quarum perficiendarum non habemus potestatem, quarumque eventus non pendet à nostris viribus: omne itaque votum rationale & legitimum à studio & opera nostra ad exitum perducitur potest: vel quia vires illas jam paratas, presentes, exploratas, & ut ita dicam, domi conditas habemus, vel quia illæ à Deo secundum communem gratiæ ordinem precibus impetrantur; quatenus jam cultu sanctioris vitæ nobis gradus & viam ad eas fecimus. Porro, ut votum rectè fiat, ad hæc tria animum intendere necesse est. Primò ut exploret vires suas, & se bene pertentet quid humeri ferre valeant quidve recuset. Secundò ut bene æstimet & ponderet motus & sensus animi, quibus se inducit ad faciendum votum, & ad aspirandum ad ea, quæ communis sanctitatis viribus non continentur. Tertio, ut prudenter contendat & comparet bona quæ sperat oritura ex voto, cum periculis, quæ adire teneantur, ne turpiter se det in iis scèstandis, quibus viribus par non est: nec Deum tentet, ad ea contendens, quorum Deus homini certam spem non fecit; neque in natura, neque in gratia auxilia promissit, quibus ea obtineri possint. Ad vires illius, quod attinet, qui vota concipere destinat, rectè de eo æstimatur, illum temerè votum facere de rebus quibusdam præstandis, quæ longè superant suas vires. Ita aliquis intet initia sanctioris vitæ consistens, non debet voto

pro-

properare ad ea, quibus in pietate adulti tantum pares sunt. Talis enim tam malè instituit rationes, quam puer, qui cum exiguis sit viribus, onus tentat attollere, quod vir vix ferat: nec mirum illum semper destituere effectum, qui ut grande aliquid inveniat, semper conatur nimium.

Quantum ad animi dispositionem, ab ea semper voti bonitas aut vitiositas manat: nam si impetus illi concipiendi voti non oritur ab animo bene comparato, & modo atque ordine suas actiones gubernante, ita ut quidam concentus sit inter omnes vitæ actiones & partes, vota sæpe non minus corrumpent vitæ tenorem, quam tonus à legibus musicæ aberrans, aures offendit & totum concentum turbat: nam sicut cithara perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat, ita hominis vita recta non est quando omnes ejus partes non bene conveniunt V: G: finge tibi hominem vitiis suis indulgentem; & ab omni vita turpem, qui nescio quo animi motu percitus votum facit non abstinendi à peccatis, quod omnium christianorum officium est, sed explendi virtutes quasdam, quæ excedunt vires hominis christiani viventis convenienter professioni suæ; & quas illi tantum sectari solent, qui jam communem Christianorum statum supergressi ad summa contendunt. Nonne is ludos dabit & meritò incurret festivitates urbaniorum hominum, quod cum nondum didicerit vitiis suis jus dicere, iisque imperare, heroicarum virtutum spem faciat suis civibus? Is ad minimum se similè iis præbet, qui vinum novum mittunt in uteres veteres, *Math. 9.* quorum hominum institutum Christus damnat. Præterquam quod in votis pontificiorum id frequentissime eveniat; & cujus vota monastica infinita dedere exempla, quod qui conjugium ejurant, & cælibatum amplectuntur, parum ad reliqua vitia delenda intenti sint:

## 76 DE VOTO CÆLIBATUS.

ita ut ille cælibatus status suâ sponte laudandus & decorus, illis tamen tam parum quadret quam mendico pannis annisque obfido aliquod ornamentum à regibus & magnatibus tantum expetitur.

Quantum ad comparationem, quæ instituenda est inter commoda & utilitates, quas votis nos nobis aut proximo paraturos putamus, & inter damnorum & periculorum metum, cui nos exponimus, cum ad non vulgaria aspiramus, illa non est exigui momenti. Nam, ut in rebus profanis, ita & in sacris, illa prudentiæ regula obtinet, ne piscemur hamo aureo, & sub spe exigui lucri subeamus periculum magnorum incommodorum. Vulgus mercatorum rectè suas rationes putat, quando dicit illum quæstum non posse consistere quem sumptus superat. Quis existimet illum hominem sapienter vitam suam instituere, qui cum naturâ sit iracundus, & ad jurgia & lites pronus, affectans singularis patientiæ & lenitudinis animi exemplum prædere, iis negotiis sese immiscet, quæ sunt plena stomachi & tædii: qui que ita sub spe aliquid excelsi præstandi, venit in discrimen multo turpius labendi, quam si in pristino vitæ instituto mansisset.

Erit nunc ex usu ea quæ tradidimus aptare votis cælibatus. Primum, ad vires quod attinet, neminem fugit, quam acris sit aculeus concupiscentia carnis; & quam miscendorum corporum maris & foeminae vehemens libido, præsertim juvenum & in flore ætatis constitutorum; imo ominum, quorum vigor ætatis non defluxit: atque ita quivis, qui rem ex æquo æstimat, & ad veram judicii lancem appendit, facile concedet eum multis temeritatibus sese offerre, & rem periculi plenam suscipere, si quis, cui adhuc vigor & succus est in corpore, voto cælibatus sese adstringit, nisi, priusquam illi capistro os præbeat, multis in casibus ex-  
per-

pertus sit se sui potentem esse & capacem domandi illam  
 libidinem ; ut ita conatus viribus respondeant , & vitæ  
 partes consentiant. Ita quidem voto cælibatus locus non  
 est , nisi ubi nos dono continentiae instructos sentimus ;  
 atque ut ita voti finis sit , potius donum quod jam pos-  
 sidemus majori cura excolere , quam per votum illud  
 adipisci: Et ita rectè rationes suas instituit, & regulis pruden-  
 tiæ christianæ obtemperat ; nec fodiens talentum suum in  
 terram , nec supra vires animum gerens , seseque efferens.  
 Alioquin temere aliquid voto aggredimur , cujus adimplen-  
 di nec vires possidemus ; neque illius studio aut precibus ac-  
 quirendi ulla facta spes ; estq; nostra agendi ratio tam aliena à  
 ratione quam illius Regis , qui bellum parans contra inimi-  
 cum , & calculum iniens militū & sumptuum faciendorum ;  
 intelligit se inimici viribus & copiis imparē esse , & cum ratio  
 illi dictare deberet tentare vias pacis & conquirere honestas  
 conditiones decidendi , & iis utendi ; quarum facultatem  
 præsentem & in manu habet , tamen bellum malit : con-  
 fidens Deum sospitaturum sua consilia ; & per ipsum pro-  
 diturum exemplum in vindicanda injuria. Pariter in con-  
 cipiendis votis , prudentiæ christianæ partes sunt , bene po-  
 nere calculum ; & expendere an viribus instructi simus ad  
 expugnandas & extinguendas carnis libidines , & si intelligi-  
 mus nos ab iis non satis esse firmos , placemus & deli-  
 niamus ejus ferociam conjugio ; neque tentemus Deum ,  
 precibus eum fatigantes , & jejuniis nos macerantes , ut  
 non tantum indies in pietate progressus facere possimus , &  
 ita contendere , pro ut captus nostri status , ad summum  
 ( quod cujusvis Christiani officium est ; sed ut consequi  
 possimus & adipisci heroicas quasdam virtutes : quatum  
 Christus singulos christianos non vult facere participes ,  
 neque promissis in spem adduxit se illis hoc esse præsti-

turum: quemadmodum quidem omnibus promisit gratiam Spiritus sui sanctitatis ad vitandum peccatum, non autem ad acquirendum summum sanctitatis & dignitatis gradum in rebus, in quibus possimus secundi & tertii esse sine peccato. Quemadmodum tota Christianismi, aut Dei civitas ad simulatur corpori, cujus partes & organa variis funguntur muneribus ad commune corporis bonum; neque tamen pars minoris dignitatis & usus ideo vitio laborat; quia non est in numero partium dignitate priorum: & quemadmodum cujusque partis est pro suo modulo laborare pro bono totius corporis, imo contendere ut gradum sibi possit facere ad majorem dignitatem, neque tamen officio suo deest, si quando inter inferioris dignitatis posita non sibi vindicet munera partium dignitate potiorum. Et quemadmodum civis vulgaris, imprudenter insisteret, si studio inconsiderato precipitans zelum de patria bene merendi, eas reipublicæ partes procurandas susciperet; ad quas ritè obeundas, neque natura neque usuformatus est. Christianus semper quidem contendere debet ad laudatissima, non tamen properare ad ea, quibus per præsentem statum idoneus non est: sed debet sinere, ut fiant pietatis gradus, & pro modulo virium concipere vota. Et ideo meritò suspectum habere debet illum animi impetum, ut non à Dei Spiritu proficiscentem, qui hominem ulterius prohevit quam viribus assequi potest. At donum continentiae non est hujusmodi ad quod communiter Christiani adspirare possunt. Et Apostolus speciatim de illo statu differens, diserte testatur, non solum cuiusvis fideli illum non convenire; sed etiam cuiusvis Christiano ad id laborandum non esse ut donum continentiae precibus & jejniis impetrare possit: Cum scortationis vitandæ causa non tantum quibusdam donum continentiae largiatur,

tur, sed etiam conjugium in subsidium & remedium instituerit, & ideo vult ut is, qui dono continentia se destitutum experitur, contrahat matrimonium, cum præstet nubere, quam uri. Si Apostolus iudicasset cuius pietatis studio & ad summa contendenti paratum esse continentia donum, modo pro virili ad id niteretur, non dedisset illis, qui libidinis stimulos reprimere non poterant, consilium ineundi matrimonii; sed constanter perseverandi in precibus & jejuniis, utpote quæ Deus secundaret & prospero bearet exitu: sed Apostolus non potuit ita insistere, quia non extant promissa Deum cuius largiturum continentia donum, qui ritè ad illud obtinendum preces fuderit. Et cum periculum scortationis in non continente tam magnum sit, & status cælibatus non tantopere expetendus, quomodo prudens christianus in consequendo illo dono pertendere potest per tot discrimina se polluendi, habens interim tam presens & paratum remedium contra illam incontinentiam; quo, sine læsione suæ dignitatis Christianæ, uti potest; ad quod monachis omnis aditus interclusus est. Quibus addatur, quam paucas vita monastica habeat opportunitates acquirendi illud continentia donum? Et quam dura illis incumbat necessitas perseverandi in illo vitæ instituto, postquam illud sæmel ingressi sunt, nec amplius deliberandi spatium est: quam ineluctabilis eos tunc urgeat ardor, qui acriores subdens faces, & medullas eorum exedens, cum desperatione nunquam recuperandæ libertatis & domandæ libidinis, indomitis eos implicat necessitatibus. Vulnus alit venis & cæco carpitur igni.

Neque caro in monasteriis ita subigitur ut in speciem videtur: nam consuetudo paucorum annorum illis callum obducit, ita ut facile ferendo sint exercitia monastica; imo

imo vires & vigor corporis potius iis corroborantur quam franguntur quod nitor & habitus corporis qui in monachis, ut plurimum commendatior enitescere incipit, satis docet: sed præsertim id testantur frequentes eorum prolapsus in scortationes. Taciti eos præterimus, qui ex ordine ecclesiastico muneris causa se temperare debent à matrimonio, nec tamen austerioris vitæ regulis & præceptis tenentur, & ita ad omnia incontinentiæ pericula magis expositi sunt: ut inde rectè inferre liceat instituta illa Ecclesiæ, quibus Ecclesiasticis personis interdicitur conjugii usus, non minori laborare incommodo quam votum monasticum. Argumento etiam est votum cælibatus non ita comitari continentiæ donum, quod cum remedia spiritalia, vitaque ad exactam frugalitatis & sobrietatis normam instituta parum sufficiat, medicamentis uti consueverunt, quibus non tantum carnis libido coercetur, sed ipsa naturæ vis læditur: & eorum suscepta ratio cum iis par est, qui ut gulæ libidinem possint frangere, nec tamen ab animi viribus jam luxu jacentis quicquam præsidii expectare possunt, medicamentis utuntur, quibus stomachi ægritudo conciliatur: vel potius iis se pares constituunt, qui ut lascivientem naturam reprimant, se castrant & mutilant: cum tamen viri honesti munus sit in decurrendo virtutis stadio, non naturam affligere & corrumpere, sed eam in ordinem cogere, & severo vitæ instituto in gyrum obedientiæ flectere; eamque suis aptare finibus, quibus à naturæ auctore destinata est. Næ ille egregiè devius aberraret à recto, qui ut exorbitationes exultantis & acris ingenii posset repimere, medicamentis illius vim iret perditum: quod perinde est, ac si quis ferociam generosi equi volens domare, daret operam, ut etiam egregia ejus indoles tolleretur. Vis & potestas generandi naturæ nostræ



## DE VOTO CÆLIBATUS. 81

nostræ pars est, cujus domini non sumus, non magis quam partis nostri, in quam nullum directum jus habemus, sicut alibi hoc demonstratum est.

Ut itaque veniamus ad clausulam, & ea quæ dixi ad unam summam referamus, statuo cælibatum suo nomine esse statum digniorem conjugio, quia reddit hominem immunem ab illis functionibus corporis naturalis & animalis, quæ insignem habent deformitatem, quæ quamvis matrimonii decoro & honestate resarciatur, retinet tamen multas causas justæ pudoris. II. Rectè tale votum posse suscipi ab eo qui se sui potentem experitur, & est ut, ita dicam, in potentia proxima illud perducendi ad exitum. Nam si Apostolus probat fœminas & viduas, provectiois ætatis, & à cura tuendæ domus & tollendorum liberorum vacuas, illud vitæ institutum ingredi, quo laborantibus in Ecclesia opem ferant; & quod cælibatum requirebat; & à quo voto resiliire & deficere probosum putabatur? quidni Juniori fas erit, idem vitæ institutum amplecti, cum intelligit se esse extra teli libidinis jactum: nam Apostolus ad hoc vitæ genus non admittit juniores viduas propter periculum incontinentiæ; cum illæ sæpe temere & cupidius quam par erat affectarent illa munera in Ecclesia, quibus postea valedicebant matrimonii desiderio. III. his tamen potissimum convenire illud votum, qui non tantum dono continentiæ præditi sunt, sed qui studio deserviendi proximo, & solutius atque liberius vacandi operibus charitatis, animum suum inducunt ad illud votum nuncupandum: videmus enim eo præcipuè nomine cælibatum matrimonio ab Apostolo præferri potioreque duci. Qui itaque istum statum tantum affectant, quia in aliqua laude & gloria insistit, qua matrimonio caret, illi ab illo statu non admodum sunt probandi aut commendandi. IV. & quia magna prudentiæ

L

tia

tiæ opus est se bene explorare viresque suas expendere, existimo illos cautius & circum spectius rationes suas putare, qui ita cælibatum amplectuntur, ut quidem voto se non adstringant, & ita aliqua religione se obligent eum servandi in perpetuum, animi tamen propositum concipiant cælibatum constanter tuendi & sectandi, ita ut continuo illius propositi memores, intimis semper agantur sensibus ad adhærendum illi proposito. Quintò arbitramur eum, qui dignitatis ergo cælibatum affectat, & interea à reliquis vitæ partibus parum honestus est, ludibrio sese exponere, & agere personam, quæ sibi non constat neque secum concordat; & qui se ei similem præbet, qui sordibus & detritis vestibus incedens, aliquam tamen corporis partem cultu, Rege digno, exornet. Denique illos non longè ab impietate abesse, qui deformandi conjugii causa, & detrahendæ spoliandæque ejus dignitatis, conjugatos à sanctis Ecclesiæ ministeriis arcent.

## D E

## C O N J U G I O.

**O**Rdo nunc postulat, ut de ipso conjugio loquamur; & qualibus contrahi debeat legibus. In superioribus (ni fallor) argumentis ex naturæ fonte haustis, probatum dedimus, scortationem esse peccatum; & in scortationis remedium à naturæ conditore institutum esse conjugium. Primum itaque dicendum, quid per conjugium intelligamus; & quid ad tale conjugium, quod coitum à vitio immune præstat, requiratur. Diximus formalem scortationis rationem hisce contineri; quod libido venerea quæ, inti-

intimam aminorum & corporum conjunctionem; quâ congregientium corpora fiunt unum corpus, non intendit, infra naturalem hominis dignitatem esse; ideoque tunc ab homine turpiter fieri: & quod vir per dedecus abutitur corpore foeminae, quando solummodo veneris causa usuram ejus corporis capit; & quod foemina labem & maculam in corpore suo concipit, quando extra certum & stabile conjugium se præbet instrumentum, & ministram explendæ viri libidinis. Et ideo in omnibus, tam viris, quam foeminis, nisi emortua in iis sit pudicitia, semper mutuus amor præcedere solet copulam: ita ut prius sit quædam animorum conjunctio, quam corporum; unde etiam zelotypia manat; quæ certe alteri non invidet voluptatem veneream, neque zelotypus ea de causa sibi comparem propriam & solam vindicat: nihil enim suo nomine honesti in coitu reperitur, nec est quod quis alteri eum invidet, sed zelotypiæ aculei & impetus oriuntur ex consideratione, quod nullus nisi infamis & propudiosus corporis sui usum alicui concedat, cui non pariter animum largiatur, & corporis sui dominium cedat; polygamus itaq; comparem eo fraudet, quod altera sibi proprium vindicabat: & zelotypiæ ratio in eo potissimum versatur, quod sit cura & sollicitudo conservandi tamquã proprium & perpetuum id, quod animo nostro precipuè carum est: nec regna socium ferre nec tedæ sciunt. Seminavit itaque Deus in natura principia legum matrimonii: ita ut homines, qui se rectè prospicere & pertrectare velint, neque illa legum primordia & tamquam simulachra extinxerint, suâ sponte judicent de natura matrimonii, ejusque legibus.

Harum legum prima & princeps est, quod omne conjugium individuum vitæ consuetudinem complectitur: & quibus argumentis probavimus scortationem, sive copulam

lam aut concubitum, qui non importat vinculum conjugale, esse vitium & peccatum: iisdem probamus, inconcessos amores esse, qui corpora coeuntium non faciunt unum nisi ad tempus: & qui ea lege atque conditione consentiunt in coitum & cohabitationem, ut post aliquot dies, menses aut annos sit desitura, facile intelligunt hujusmodi pactum aliquid diripere de dignitate viri; & præsertim mulieris. Non enim magnopere refert sive pro multis mensibus, sive pro paucis diebus mulier paciscatur de noctibus. Ino pactum pro pluribus noctibus eo sædus est, quod eo vitii & peccati longior usus stipuletur. Quod autem concubina minus infamis scorto putetur, id non est quia concubinitus in se includit usuram corporis ad aliquid tempus protractam, sed quia concubina non publicat corpus vulgo; nec se vagæ permittit libidini, quemadmodum vulgare scortum. Et cum inter omnes gentes omni ævo discrimen sit habitum inter conjugem & usum mulieris extra conjugium, etiam comperiemus discriminis causam in eo semper positam fuisse, quod conjugium contractum fuerit animo perseverandi in eo usque ad ultimum vitæ spiritum. Aliæ autem conjunctiones cum muliere non continent perpetuam vitæ consuetudinem: nam & nec amplæ datis promissio, aut potius magnæ utilitatis aut compendii faciendi spes ex concessio corporis usu, quæ extra conjugium tantum est merces impuditiæ: nec prolis educandæ promissio, quâ nascituris ex concubitu consulitur quidem, sed non honori coeuntium: nec testificatio erga mulierem intentissimi amoris, qui contemptu & ignominia, quâ mulierem afficit per abusum illius corporis, vitio inficitur nec se tueri potest: nec longus mulieris usus, qui tantum ejus abusus continuationem continet, eam justæ uxoris numero haberi facit; sed solummodo corporis

ris

ris viri & mulieris coalitus in unum corpus perpetuo vinculo conglutinatus. Ita ut quemadmodum sine coeundi intentione nullum inter virum & mulierem potest contrahi conjugium, quia vis & causa, quæ duo fiunt una caro (quæ est copula) deest, ita omnis contractus, qui copulam includit, nec tamen perpetuam vitæ consuetudinem intendit, conjugii dignitatem attingere non potest; licet vis copulæ ex sua natura illam perpetuam vitæ consuetudinem involvat; sitque illius usus à natura alienus, quoties sub alia conditione expetitur. Ita quidem liquet semina legum matrimonialium, quæ produntur in Scriptura, sparsa esse in natura, & in omnes gentes vim suam diffusisse: ita ut quemadmodum homines sponte nec recondata ratione judicant inter scortum & honestam matronam, ita illis in promptu est discernere inter conjugium, & inter consuetudinem viri & mulieris, quæ illa dignitate caret: Quæ etiam nunquam illis ceremoniis celebrata fuit, qualibus conjugium: sed contra, omnis concubinitus fuit habitus indignus, qui cohonestaretur ritibus, inventis ad addendum decus conjugio.

Et quamvis forte divortii justæ dentur causæ, non potest tamen illa vera esse causa, quæ destinatò aut ex composito ponitur: cum nulla contrahentium pars id juris habeat in corpus suum. At longè distant, ad tempus in cohabitationem consentire, & ita contrahere matrimonium cum animo manendi in eo ad mortem, sed quod tamen intervenientibus & oblatiis foris, (at non quæsis & intentis, cum sit contractus) dissolvi potest. Estque hic par ratio, quæ reperitur in eo, qui amicitiam cum aliquo contrahit, animo eam renunciandi & solvendi, postquam amici usum aliquandiu habuit, quod certè foedum & illiberale est; & eo foedius, quo turpior questus aut delectatio fuit, quam per

amicitiam destinavit adipisci: Non tamen amicitie pretium imminuitur, quamvis ejus natura talis est, ut sæmel contracta, propter justas causas possit dissolvi. Existimo itaque me jam probasse, nullum coitum liberari posse à vitio, nisi per conjugium: in omni conjugio contineri vinculum perpetuum inter conjuges; neque sufficere ut matrimonium subsistat, quod mulier sit in tutela & custodia viri, sed jus naturale docere dignitatem naturalem mulieris requirere, ut vinculum inter virum & mulierem in conjugio sit perpetuum.

Nunc superest discutienda difficilis quæstio, an lex naturalis jubeat conjugia tantum esse inter duos? Respondeo, mihi nullum dubium esse, quin lumine naturali cognoscimus conjugium inter duo perfectius & dignius esse; & mulieris dignitatis naturalis majorem in tali conjugio haberi rationem. Nam quamvis maritus est uxoris caput, non tamen habet in illam dominium cum imperio, neque subjectione mulieris jus in illam acquisivit, sed associatione: deditque Deus viro mulierem comparem & adjutricem, non famulam aut servam; & nihil magis alienum ab amore conjugali, quo vir conjugem tamquam se alterum complectitur, quam illud dominium, quo re aliqua utimur tamquam nobis inferiore, & nostro usui & commodo tantum destinata aut comparata. Sic res mihi extra controversiam est, inter duos se magis prode amore conjugalem, & mutua conjugum munera; & sanctionem purioremque inter duos esse thorum conjugalem. Nec finit nos dubitare Christus, docens, matrimonium ab initio à Deo institutum, ut tantum esset inter duos: quemadmodum ex eodem instituto manat, quod perpetuum vinculum esse debeat. Nec dubito quin in statu integritatis mulier in ea fuerit constituta dignitate, ut omnino conveniens

niens fuerit eam cum uno viro tantum nuptam esse. Neque illud institutum tantum vim præcepti positivi habuit, sed illud ductum puto ab initiis naturæ in creatione homini inditis, cujus vis etiam manavit ad totum genus humanum, cujus insitas & quasi consignatas in animis notiones illa zylotypiæ affectio, quæ tam foeminis quam viris adest: indicat: & mulier tam virum, ut sui dimidium amplectitur, quam vir mulierem: & in utroque sexu, quando ætas processit ad juventutem, se produnt inclinationes, quibus tam mas quam foemina mutuò se appetunt, non libidinis explendæ causa, sed quia uterque sibi aliquid deficere putat, quod conjugio tantum refici & compleri potest. Ut rectè dicatur istius inclinationis respectu, naturam solitarium nihil amare, semperque ad aliud, tamquam ad adminiculum adniti, quod in amicissimo quoque dulcissimum est; & communem naturalemque quandam commendationem marem inter & foeminam esse. Et quamvis polygamia apud multas gentes obtinuit, nunquam tamen, quod sciam, liberum conjugium inter personas liberas contractum fuit, per quod vir uno eodemque tempore duas sibi adjungebat uxores, & cujus conjugii, simul amor non autem aliquod commodum domesticum pronubus & conciliator erat. Sed quando altera & tertia uxor superinducitur, id fit successivè, & libido aut utilitas domestica illud suadet; & ideo factò illo multum diripitur de dignitate conjugii, & de integritate conjugalis amoris.

Scio equidem Responderi ad argumentum de zelotypia, illam passionem non ex veris naturæ principiis in homine, & præsertim in muliere efflorescere, sed opinione & consuetudine gentis, in qua degimus, tantum esse susceptam. Quemadmodum sæpe mores deteriores specie honestatis & magnanimitatis in crebescunt in Republica:  
inter

inter quos est V: G: ille mos, qui nomine fortitudinis & generositatis se commendat, quo nobiles & milites tuendæ æstimationis & famæ causa ad monomachiam & condita singularia certamina se proripiunt; Non vera ratio eos informat ad vindicandam facinore æstimationem suam. Sic arbitrantur Selotypiam non vi naturæ probè constitutæ commoveri in nobis, sed esse vitium (presertim in muliere) profectum à superbia mulieris, quæ tanti se æstimat, ut putet nullam aliam foeminam in thori societatem assicisci posse sine sua injuria: esse itaque zelotypiam animi commotionem, in muliere presertim, aversam à ratione; & contra naturam: & ideo dicunt illam cessare apud eas gentes, ubi polygamia in usu est: quod documentum manifestum præbet illius passionis causam esse tantum in moribus. Respondemus, ex natura amoris conjugalis rectè concludi zelotypiam esse affectionem animi, homini datam à natura recta, quia ex supra traditis manifestum est, concubitum complecti conjunctionem duorum corporum in unum: & amorem conjugalem complecti amorem intentissimum quo animi & corporis mutua communicatio continetur: nihil autem homini magis suum & proprium est quam suum corpus & suus animus; & nullus nobis carior est quam nosmet nobis sumus: amor itaque conjugum non est amor adversus rem, quam nobis inferiorem putamus, & quam appetimus non suo nomine sed propter usum & nostras commoditates: neque est erga rem, quam nobis præstantiorem putamus, quales sunt Deus & Patria, sed mulier à viro suâ caritate colitur, & expetitur ut compar sibi; quâ æquè delectatur ut se ipso & erga quam ita est animatus ut ipse in se. Et quemadmodum nostri conservandi studium rectum atque naturæ appositum est, ita ut illius causa reliqua ferme omnia parentur; ita conservandæ

&



& tuendæ possessionis conjugis studium rectum atque probum est : tam diu autem conservatur illa possessio , quam diu nobis propria manet per vinculum conjugale , quod profectum ab amore , quo duo unum esse expetunt completur per copulam. Mulier itaque se non æstimat nimium quæ uno viro , eoque proprio frui vult ; quia natura conjugalis amoris eò ducit ; ideoque illa animi affectio , quam zelotypiam vocamus , libera est à contumacia ; & profecta à magnitudine animæ digna muliere ; & à vera æstimatione suæ dignitatis. Non est itaque aliena à natura , aut vitiosè suscepta zelotypia , quemadmodum monomachia & vindicta privata ad se vindicandum à suspitione formidolosi & parum strenui hominis , cum hoc sit invadere officium judicis , & privato judicio injuriam suam æstimare , ejusque vindictam persequi , cum tamen ex legibus civitatis ad pacem & justitiam tuendam comparatis , injuriarum privatorum æstimatio & reparatio publicis judiciis sit commissa.

Neque etiam me à sententia mea depellere potest, quod polygamia non semper libidinis causa appetatur ; sed sæpe insignium commoditatum ergo , quæ in familias inde redundant ; & quæ etiam ad muliebrem sexum sese diffundunt : per eam enim plures mulieres constituuntur sub tutela & custodia unius viri , sub qua earum pudicitia securius delitescit , & earum dignitas provehitur , & in altiori gradu constituitur , quia illa aliquod incrementum capit per matrimonium. Nam quamvis hæc vera esse possint , non rectè tamen argumenta in hac quæstione ducuntur à commodis aut incommodis quæ polygamiam comitari solent , sed in hisce attendendum ad naturalis rationis dictamen atque præscriptum : non enim quod magis aut minus utile est , id ideo lege naturali vel vetatur vel jubetur :

M

sed

sed quod ratio imperat, aut quod cum illa pugnat, id committere fas aut nefas est. In hac quæstione itaque tantum pensitandum venit, an polygamia motibus naturæ per, & juxta rationem sese exerentibus repugnet? Aut an eis consentanea sit? Si mulieris pudicitia quæ viro juncta est magis est in tuto, etiam concubinæ res cautior erit, ne datur multorum libidini, fiatque publicum prostibulum: illa tamen utilitas concubinatum non reddit à vitio immunem: & si polygamia stabilis rem familiarem, etiam servorum copia familiæ commoda auget, non ideo tamen desinit servitus, aliena esse à Christianorum charitate & mansuetudine. Et si muliebri sexui propter conjugium, in polygamia accedere videatur aliquod decus, illud verum decus non est, quia illud non aliter acquiritur quam per dispendium majoris decoris: sicut is qui divitias, quibus contemptus, qui in paupertate est, arcetur, per probrum acquirit, ideo honoratior non putatur.

Quæ hæcenus polygamiam spectantia explicata sunt, probant quidem conjugium inter duos aliquid egregius & excellentius in se complecti quam polygamiam: quos fortasse nemo, inter moratiores gentes degens, in dubium vocaverit; sed illa difficultas manet reliqua: an pugnet cum dignitate naturali mulieris quod plures apud unum virum, nuptæ sint? Ita ut polygamia sine vitio nunquam introduci potuerit, neque usurpari; ne tunc quidem ubi cum sæculis & ætatibus hominum illa consuetudo in quibusdam gentibus inveteravit: ut quemadmodum pugnat cum dignitate naturali hominis stulti personam agere; ita etiam infra dignitatem naturalem mulieris sit quod plures uni viro nuptæ sint: ut hæc difficultas planè atque perspicuè expediti possit, altius nonnulla accersam; ut res lectori magis in aperto sit. Distinguendum primò inter dignitates, qua-

quarum non est una & simplex natura; & à quarum cognitione tamen totius quæstionis momentum pendet. Alia est dignitas, quæ nullam in se moralitatem continet, hoc est, quæ nec vitii, nec virtutis rationem ullam in se complectitur. Sic dignitas, quæ ex scientiis & artibus alicui accedit, nullam moralitatem habet, nullus enim ideo probior aut improbior putatur. Sic nec illa dignitas, quam consequentur beati, postquam corporis animalis infirmitates deposuerint & corpori glorioso Christi similes fuerint facti ullam moralitatem continet; ex nullis enim virtutibus status ille, qua talis, completur; quemadmodum neque virtutum studio gradatim acquiritur: cum tamen ipsa beatitudo quæ in Dei fruitione consistit ipsis virtutibus, quæ hic à probis exercentur, contineatur; quamque per gradus sibi parant, pro modulo progressuum quos in virtute faciunt, sed illa beatitudo non est confundenda cum statu corporis glorificati. Est & alia dignitas, quæ in sublimi & excelsa quadam natura omnibus cumulata virtutibus fundata est. Quæ quidem moralitatem in se continet, & à qua is, qui illam possidet desciscere, aut declinare sine peccato non potest, sed quæ tamen ad omnes non convenit; & cum qua illi, qui in tam excelsa gradu dignitatis constituti non sunt, non tenentur exæquare suas actiones. Sic Christus in illa dignitate constitutus fuit, etiam cum in terris ageret, ut multa ejus dignitas ab eo requireret, ad quæ homines, communi sorte nati, adspirare non habent necesse; & malè officiorum suorum calculum subducerent, si quod Christum condecere putant, id etiam sibi imperatum putent: & deliberantes atque hæsitantes an ipsis fas sit aliquid committere aut omittere, consulunt exemplum Christi, & inde sibi formant officia vitæ. Ita sunt quadam munera in Ecclesia & Republica, quæ eam personam imponunt illis, qui

iis funguntur, ut plane in ea dignitate versari debeant à qua alii non solum ab esse possunt, sed quam ne sectari quidem debent, si non velint ludum & jocum præbere populo: fuit etiam quondam quædam dignitas in homine ante lapsum, de qua per peccatum descendit, & quæ illi præscribebat munera, à quibus nunc meritò se temperat. Est etiam alia dignitas homini ita naturalis, ut nullus casus aut necessitas intervenire possit, quâ ab ea sine peccato declinet: qualis est dignitas viri super mulierem, & propter quam caput mulieris vocatur, & aqua deficit, quando finit uxorem imperium domesticum in se exercere, illique ita obnoxius vivat: in talem dignitatem naturalem etiam peccatur, quando per ebrietatem ingenium corrumpimus, aut stultum & mimum agentes motu aut statu contemnimus naturæ legem & modum; aut etiam cum seortatione nos polluimus: Est denique quædam dignitas, quæ in usu quarundam virtutum, & in gradu sanctitatis consistit, ad quem omnes quidem aspirare debent, quatenus omnes tenemur niti ad summum, & qui eo nomine, eaque ratione quidem imperatur; & omnibus præscribitur, sed ad quem nemo re ipsa ascendere debet, nisi qui illam spiritus copiam habeat, eoque afflatu sanctitatis se moveri sentiat, ut & se tuenda isti dignitati parem; & se suæ sanctitati deesse putet, si eò non contendat, quo ipsum sanctæ illæ motiones ire hortantur: & qui ideo piaculum contrahit, quando istis motibus non obedit; ut pote qui cum gloriæ Dei & proximò commodis magnopere inservire potest, mavult commodiore vita frui, quam ad Dei gloriam majores molestias subire: Sed à quo gradu tamen sine peccato absunt, qui minori spiritus copia sunt præditi, quandoquidem ille major sanctitatis gradus & opera, quæ ex illo manant, ab animo mutuuntur suum pretium; & vittutis rationem

nem

nem & dignitatem sustinere non possunt, si à zelo & animi motionibus non procedant (sic V: G: Elemosynæ distributio sine charitate, bonorum operis numero haberi non potest) ille zelus cum omnibus non æqualiter distribuatur, ideo etiam illa opera non absolutè ab omnibus requiruntur. Et in his operibus pontifici versari putant consilia & opera superogatoria:

Hiscæ pro rei necessitudine expositis, quæ omnia præmuniuntur reliquo sermone disputationique nostræ, superest ut sensum super quæstione proposita depromamus. Cum dignitas glorificatorum sanctorum non ferat conjugii usum, multo minus potest illorum status consistere cum polygamia; & cum quæstio versetur in rebus, quæ homini dum in terris ætatem agit, evenire possunt, super vacaneum est de iis quæstionem movere, quibus in cœlis tantum erit locus. Et cum dignitas, quæ nullam moralitatem in se continet, & ad quam nullis virtutibus nobis possumus munire viam, nullum momentum habeat in moralibus, neque ad ea referri per se possit, ideo nec illa dignitas hic in considerationem venit. Quantum ad illam dignitatem, quæ in excellenti cumulataque virtute natura constituta est, illa propius ad examen vocari posset; sed quæ super ea dicenda veniunt, rectius in medium proferentur; quando sermo erit de dignitate in qua illi insistent, qui ad majorem quam vulgarem sanctitatem adspirant, aut qui muneris causa in majori severitate & morum gravitate versari debent. Est autem & alia dignitas quam Deus in creatione uni præ alio conciliavit: Et de hac dignitate jam dicemus. Ex *Epistola 1. ad Corinthios cap. 11.* constat virum, etiam ante lapsum, dignitate anteisse mulieri: non tamen istam dignitatem comitabatur jus habendi uno tempore plures uxores: nam Christus loco citato

manifestò mihi videretur docere factum Dei, viro tantum adjunctis unam uxorem, habuisse ad minimum (in illo innocentiae statu) vim legis, secundum quam Adami posteritas in paradiso conjugalem societatem inire tenebatur. Verum equidem est, locis citatis, Christum non destinatum tractare quaestionem de polygamia, sed de repudio; mihi tamen videtur Christum, per occasionem propositae sibi quaestionis, ostendere ex prima conjugii institutione obtinere debere, ut duo, & non plures sint in carnem unam. Nec video quomodi vi & significationi verborum satisfaciat, quando plures uxores junctae uni viro, coalescunt cum viro in unam carnem: nam quamvis mulier nupta viro videatur fieri una caro cum viro, non fit tamen vir, qui plures duxit uxores, una caro cum mulieribus, quas duxit, cum plures mulieres quae nupserunt uni viro, non jungantur in unam carnem; & ita in viro distrahitur illa unitas, & multiplicatur in mulieribus; & quod cedit uni mulieri non coalescit cum altera in unam carnem. Nam quod de amicitia vulgò dicitur, quod amicus sit alter idem, id statui conjugali aptari non potest, quasi vir posset esse una caro cum pluribus mulieribus, licet plures habeat uxores, quemadmodum amicitia inter plures potest intercedere: sunt enim aliae leges amicitiae, aliae conjugii: neque amicus propter amicum deserere tenetur patrem & matrem, & adhærere uxori: amicus tamen sine impietate patrem & matrem deserere non posset propter amicum, quando officia inter utrosque simul subsistere non possent; neque imminuitur dignitas amici, si secundus aut tertius amicus affiscatur; quemadmodum mulieri aliquid de sua dignitate perit, quando vir plures unâ sibi adjungit mulieres: ubi enim animus multitudine uxorum distrahitur, nullam pro socia habet, pariter omnes viles sunt. Eodem addendum est, quod legitur,

gitur, *Maleach. 2. vers 15. nam nonne unum effecit, quamvis reliqui spiritus ipsius essent? Quid autem unum? Quasitum semen Dei: ideo causturi estis spiritui vestro, & in uxorem adolescentia tua perfidè ne quisquam agito.* Istec verba à Propheta prolata arbitror contra Judæos, qui excuciabant uxorem primam, quam Propheta uxorem adolescentiæ vocat, quamque ut sibi unicè caram atque dilectam expectierant in uxorem; & cujus animum spe in perpetuum duraturi amoris sibi devinxerant; & quem jam per amorem desultorium, & animum prioris mutæ benevolentia immemorem eludunt atque frustrantur, fastidio prioris adjungentes sibi alteram, quâ se oblectent: fuit itaque in statu integritatis conjugium circumscriptum iis legibus, ut viro tantum liceret unam uxorem ducere.

Sed his ita definitis, reliqua manet difficultas, an illa dignitas mulieris, quæ ipsi prima creatione obtigerat, fuerit mulieri ita naturalis, ut ab illa dejici non potuerit, non violatis illis naturæ principiis à quibus in reliqua vita per omnem posteritatem Adami ducuntur officia & munera moralitatis? Et an illa dignitas fuerit potius aliquod ornamentum mulieris naturæ superadditum; & quo carere potuerit inviolatâ naturâ: quemadmodum immunitas à moriendi necessitate primis parentibus concessa, per peccatum mutata fuit in necessitatem moriendi. Et quemadmodum dignitas incedendi pudendis non tectis, per peccatum ab iisdem ablata fuit & imposta membris genitalibus ea vilitas, ut ab illis partibus homo amplius undari non possit sine impudentia. Ita etiam quæri posset, an mulier per peccatum primum, cujus se præcipuè ream constituit, quia se ejus auctorem & ducem præbuit; & cujus fructus pestiferi seise diffuderunt in totum genus humanum, etiam non sit depulsa ab eo dignitatis gradu: quo primum in conjugio

gio viro par erat; & quantum ad vinculum conjugale ejusdem cum marito juris: ita ut nunc ad illum statum redacta sit, ut viro jus natum sit plures sibi asciscendi uxores; manente natura; ejusque præscriptis & legibus integris? Et videtur isti sententiæ argumentum præbere poena in mulierem decreta, quâ plus viro obnoxia declaratur, quam fuit ante peccatum perpetratum; ut quæ nunc debeat omne suum studium, & voluntatem conferre in maritum; ita ut non tantum sit in ejus tutela, sed etiam in mariti voluntate conquirere debeat. Unde etiam ab illo tempore mulieri ingenita est illa animi affectio, quâ non tantum multo reverentius se erga maritum gerit, sed etiam longè submissius: virum suum dominum appellans: testans ea humilitate sibi multum periisse de sua dignitate. Quemadmodum vir contra, dignitate auctus altiores spiritus in se experitur, pro quorum ratione, modo, & mensura majus sibi jus in uxorem attribuit, cujus inter alios effectus est jus polygamix & habendi uno tempore plures uxores: ita ut vir non tam legi, quam charitati pareat cum una uxore est contentus.

Respondeo, rem apud me nullam dubitationem habere, quin per poenam, speciatim mulieri inflictam, mulier magis obnoxia sit facta viro: etiam facile mihi persuadeo propter illam status mutationem, mulierem redditam magis injuriis viri expositam: qui etiam per peccatum corruptus elatius æquo se gerit: casto amore minus regitur; & proclivior est in abusum suæ auctoritatis in uxorem: quemadmodum etiam mulier peccato ægra, ideo etiam minus suis affectibus imperare potest, quo evenit, ut minus virum officiis sectans, usque eum devincire studens, eum iniquiorem in se experiat, quo factum est, ut facilius emortua arque exincta sint illa semina naturæ, à quibus profici-

scun-



scuntur conjugii perfectissimi atque integerrimi leges, quæ vetant polygamiam; atque ita polygamiam, apud omnes gentes obtinuisse, iis tantum exceptis, quarum temperamentum ipsas ducebat ad continentius se gerendas in rebus venericis; sed à quarum moribus non aptius argumentum fueris mutuatus pro monogamia, quam à cujusque gentis moribus ab huminitate probatæ, duxeris argumentum pro lege naturali. Et posset aliquis fortassè hanc considerationem cumulare alia cogitatione; nempe si illa novâ, & majore subjectione uxoris, polygamia non sit vindicata omnino à peccato, hoc saltem eâ effectum, ut per polygamiam adulterium non committatur, introductâ per peccatum in matrimonio tali mutatione, ut mulier, quantum ad jus, quod illa acquirit per conjugium in corpus mariti, non sit par cum eo, quod vir acquirit in corpus mulieris; ita ut vir alteram asciscens uxorem non violet conjugale vinculum, in cujus violatione adulterium formaliter consistere videtur. Non enim facile aliquis hoc à se impetrabit, ut credat sanctissimos viros, qui se auctores vitæ graviter sancteque agendæ profitebantur sub V: T: se adulterio, coque perpetuo polluisse. Sed de his in sequentibus. Ex hisce sequi videtur, omnia quæ de conjugali amore dicta sunt, evincere tantum conjugium inter duos esse perfectius & integrius; illudque convenienter statui integritatis introductum & usurpatum fuisse; & ideo alienam fuisse ab illo statu polygamiam; sed quemadmodum post peccatum dignitas mulieris fuit imminuta, ita leges matrimonii non nihil fuisse immutatæ, & aptatæ statui hominis, qualem post lapsum obtinuit; in quo viro licuit sine injuria uxoris plures uxores sibi adjungere. Imo viri sancti non solum ante & post legem plures habuerunt uxores, sed etiam in lege præcepta quædam dantur his, qui plures haberent uxores. Et

Regi

Regi præscribitur ne uxorem & equorum nimiam sibi pareret copiam. Et doctrina Saducæorum, qui negabant binas simul uxores jure haberi, decepti loco, *Levit. 18. vers. 18.* malè intellecto, fuit inter Judæos putata hæresis.

Et doctrina Christi in locis supra citatis non obstat, quia illa tantum insinuat quid obtinuerit in statu integritatis; & ad quid adspirare debeant Christiani, vel potius quibus illi jam legibus teneantur, revocans illos ad primos, antiquos & optimos mores, convenientes excelso Christianorum statuti: qui alius status alios mores postulat: cum tamen à prima creatione, & quæcunque in medio fluxere secula, usque ad regni cœlorum inchoationem in terra, quæ post Christi ascensionem in cœlum precipuè initium sumpsit, eam in matrimonio dignitatem non requirebant, qualem novi testamenti desiderant tempora. Hæc sententia fortasse propterea apud multos assensum & fidem non inveniet, quia ex illa sequi putatur à Cristo novas & sanctiores leges traditas Christianis, & ita consiliis & operibus superogatoriis locum fieri. Quam sententiam omnes, qui orthodoxiæ tenaciores sunt, rejiciunt; & quam nos etiam omnino à veritate alienam putamus; & virtutis rationem in consequentiis suis plane subvertentem: quasi aliquid sub Euangelio legi naturali, aut rationi rectæ repugnaret, quod sub V: T: cum ea non pugnabat. Aut quasi unquam homini fas sit potius sibi morem gerere, quam servire Deo ex omnibus suis viribus, quas in se jam promptas & paratas agnoscit; & quæ ipsum ad id excitant. Quamquam itaque doctrinam pontificiorum damnem; & propter alias causas polygamiam improbem, non puto tamen sententiam eorum, qui polygamiam tuentur eo nomine explodendam. Sed quia hæc res maximi est momenti, operæ pretium ne facturum arbitror, si illam enucleatius excutiam & Paulo altius accersam.

Nota

Nota & trita est distinctio inter Præcepta affirmativa & negativa, aut inter imperantia & vetantia. Non furaberis, non scortaberis, non occides, vocantur vulgò præcepta negativa: Tribues cuique suum: castitatem & pudicitiam colles: proximum amore prosequeris; eique te commodabis in omnibus, sunt præcepta imperantia: & his utriusque generis præceptis, si generatim considerentur, ex æquo omnes tenentur. Quoniam hominum, omni tempore, cujuscunque ordinis & loci, tam fuit officium castitatem sectari, quam scortationem vitare; tam justitiæ operam dare, quam à furto & ab injustitia sese temperare: tam proximi utilitates quærere, quam in ejus bona cupiditate non imminere. Puto hanc rem omni dubio carere apud æquum rerum æstimatorem: etiam omnia talia præcepta generatim considerata, sunt naturæ præcepta; quæ mutationem, exceptionem, aut dispensationem non ferunt. Quis enim sustinet tueri aliquando fas fuisse aliquid facere contra decus, decorum, aut dignitatem suam; aut delectari in malis & adversis proximi: aut quod eodem redit) odisse proximum: effèri & exsultare gaudio, quia illi malè est. At enimvero, cum hæc Præcepta affirmantia referuntur in usum; & aptantur particularibus personis; idque alio, atque alio tempore, tum quidem nunquam mutationem admittunt; sed materiâ, circa quam versantur, magnam mutationem subeunte, legis effectus & obligatio variant: unde evenit personas & actiones, quantum ad speciem externam similes, ad legem tamen relatas, dissimilimas esse. Omnes circumstantias & casus propter quæ hominibus illa variatio accidit hic recensere extra scopum foret. Duorum tantum mentionem faciam, quæ quæstioni, ad quam sequens omnis sermo conferetur, cognata sunt: unum est diversitas dignitatis hominum, alterum diversitas co-

piæ Spiritus & gratiæ, hoc est graduum pietatis. Diversitatem dignitatum dari supra probavimus, cum enumeravimus diversas dignitates, quas idem homo ante lapsum, sub lapso, & in restitutione omnium rerum subiit, & subiturus est: & quivis facile concedit diversos illos status diversa requirere munera convenienter singulis statibus: neque tamen nova lex moralis singulis statibus fuit aptanda, sed eadem lex sufficit omnibus, quamvis diversa nascantur officia, pro diversitate statuum. Quemadmodum nostri Theologi rectè docent, Adamum post lapsum, & post datam promissionem de Messia, vi legis moralis (hoc est rectæ rationis Adamo à prima creatione inditæ) obstrictum fuisse isti promissioni fidem habere. Et Adam vi ejusdem legis moralis, præscribentis pudorem & dignitatem tuendam esse, ante lapsum nudus incedebat, & post lapsum vestitus, & pudenda tegens. Et quamvis Christo, in terris versanti, major dignitas majusque decus fuit additum, quam ulli homini, quapropter etiam in majori morum severitate & sanctitate versari tenebatur; non tamen illa excedebant aut superabant primæ legis justitiam & sanctitatem: neque novæ legis latio & promulgatio fuit necessaria, ad moderanda ejus officia, primâ enim lege omnia ea continebantur, quia recta ratio illa imperabat. Et si mulier, vel potius conjugium propter Christum fuit restitutum pristinæ suæ dignitati, quæ dignitas per se abolitas leges revocat in usum; non ideo nova lege opus fuit, quæ conjugum officia regeret. Nec video cur magis pugnet cum Christi munere, aut Dei sanctitate atque justitia, novas dignitates, decora, atque ornamenta adjungere alicui statui, quæ ille status antea non habuit, quam singularem hominem in aliquibus circumstantiis ponere, quibus ad excellentiora officia præstanda obstringitur, quam ille, qui

in

in illis circumstantiis non est constitutus. Qui dixit, *1 Timot. 3. vers. 2. volo Episcopum unius uxoris virum esse*, (in aliis polygamiam permittens) potuit simul omnes Christianos in illa dignitate constituere, ut æquitas, & ipsorum dignitas jusserit omnes unius uxoris viros esse. Et cum nostræ leges Ecclesiasticæ, propter eandem dignitatem eorum, qui muneribus Ecclesiasticis funguntur, jubent concionatorem, Seniore, & diaconum, uxorem de adulterio convictam, repudiare, ne putetur esse leno uxoris suæ, atque ad ea vitia indulgere, à quibus omnes christiani abhorere debent: quâ lege tamen vulgares & de plebe Christiani non tenentur, illi Rectores Ecclesiæ non ideo arbitrantur istis constitutionibus novam legem ferre: & quidni casum illum comminisci licet, quo omnes Christiani, propter dignitatem, in qua Deus eos potuit posuisse, obstringerentur uxorem adulteram à se dimittere?

Scio equidem objici posse, probandum esse, Deum Christianorum conjugium ita dignitate auxisse, ut illud jam requirat virum unius tantum uxoris maritum esse; & non potius dicendum sit, manente conjugio in eadem dignitate, quâ fuit, Deum hominem obligasse ad sanctiora munera, quam ad quæ antea tenebatur, manentibus iisdem circumstantiis. Sed in ea objectione nihil momenti est ad subvertendam priorem sententiam. Si enim dignitas conjugii non est provecta ad altiorem gradum; ita ut inde aliud officium nascatur: quod officium subsequens lex declarat non autem constituit; tunc in illa lege nulla est moralitas; tantum abest, ut per eam ad summam legis moralis, quæ viguit sub V: T: accessisset novus perfectionis gradus, sed est tantum lex positiva, ad cujus observantiam nullâ aliâ moralitate homo obstringitur quam parendi officio; quia nec conjugii dignitas illi legem imponit; nec

majoris pietatis instinctus eum eo ducit. Quod quidem hic rectè notari velim, cum hoc cardine tota hæc contraversia vertatur, & hujus rationis vis sese longè lateque diffundat. Qui præscribit viginti quatuor horarum preces, illius præscriptum sanctius non est ejus, qui jubet Ecclesiam jejuniis & sanctis meditationibus se præparare & comparare ad Deum intimis animi sensibus precandum; nec tamen precandi spatium extendit ulterius, quam spiritus fervor illi adspiret animum. Et si Christus interdixisset Christianis bellum gerere; quod sub V: T: licitum fuisse omnes agnoscunt, non rectè inde conficeretur sanctiores leges, majoremque charitatem Christianis præscriptam, quam Iudæis: quandoquidem & is qui non gerit bellum pejus potest odisse proximum, quam is qui cum illo armis certat. Et finge Iudæis permissum uxores suas dimittere à se, christianis autem id non fuisse indultum, non inde sequitur Christianis Maritis majorem charitatem erga uxores imperatam quam Iudæis; quasi mariti Iudæi potuerint sine peccato esse vacui ab illo amore, quo Christiani erga suas uxores affecti esse debent: sed sequeretur solummodo, Christianos quibusdam legibus positivis teneri, quibus Iudæi non obstringebantur. At ratio à nobis dissentientium rectè procederet si in gerendo bello & in dando libello repudii esset charitatis proximo, & uxori debitæ defectus; & qui defectus Christianis fraudi est; at Iudæis sub V: T: reos non constituit: sed cui homini probari potest illa sententia, nempe actiones quasdam, manentibus iisdem circumstantiis esse peccatum sub Euangelio; idque vi legis naturalis, adeoque suâ naturâ, quæ tamen sub lege ab eo liberæ erant? cum in illa sententia illud absurdum se prodat: rationis veræ & rectæ aliam esse vim sub Euangelio quam quondam sub lege fuit: aliquid alio tempore quam alio rationi conveniens.

veniens fuisse: legem Dei sanctissimi non attulisse interitum vitiorum, sed tantum eorum mediocritatem. Ab omnibus hisce naturæ sensu abhorremus. Atque hæc dicta sufficiant de diversitate statuum, à qua officiorum diversitas ducitur, illæsa manente sanctitate & integritate legis. Superest ut nunc agamus de altero casu, nempe varietate donorum, quorum consideratio alia atque alia officia hominibus copia Spiritus imparibus, imponit.

Dari gradus perfectionis, ad quos quidem omnes adspirare & contendere debent, sed quibus tamen sine peccato illi carent, qui quidem summum gradum non attingere, perveniendi tamen ad summum occasiones non neglexerunt. Qui intellectum cognitione imbutum, animum paratum & se viribus instructum experitur, quo gloriam Dei promoveri, aut proximi commoda augere potest, is sine peccato à tali re se temperare non potest. Quia talis, hoc, aut simili reatu sese adstringeret: quamvis nunc possum, hæc in re ostendere quam grave atque sanctum mihi sit numen Dei mei, & quantopere mihi curæ sint commoda proximi mei, nunc potius mihi indulgebo, & ea prima ducam, quæ mihi libido suadet: quod certe est à Deo sese avertere ad creaturam; & ea quæ Dei sunt post habere iis quæ sunt mundi. Nam in tali casu nullus à sanctiore opere se continet, quam qui eodem tempore suo animo morem gerit. An non omnes satis cognitum perceptumque habemus hæc à recto sensu aliena esse? Sed ex adverso, si quis omni studio, votis & opera expetat summa, nec tamen in præsentia se instructum sentit iis dotibus, quæ requiruntur ut summa in pietate præstet, sed iis tantum præsiidiis munitum quibus in corpore mystico Christi, non capitis, sed minoris usus membrorum officia explere possit, is rectè fecerit, qui spartam quam nactus est ornans, & personam,

nam, quam Deus ei imposuit rectè agens, iis se applicet; iisque defungatur muneribus, quibus se idoneum cognoscit; studens per gradus sibi viam facere ad præclariora corporis munera. Talis non tantum non peccat quod capituli officia non exequitur, cum pedis tantum munera potest explere; sed monstri similis esset, & totam turbans scenam, suscipiens agere personam adultæ ætatis, cum puer sit, & affectans capituli functiones explere, cum pedis in corpore rationem habeat. Nec minus à ratione alienum foret, si vota pro talibus conciperet: & promissis sese obstringeret ad ea præstanda, quibus se non esse parem, propter donorum minorem copiam, agnoscit: & omnes illæ actiones, quæ excedunt mensuram Spiritus, cujus est factus consors, essent actiones mortuæ & mimicæ, specie tantum referentes virtutem, sed reipsa peccata splendida Deo maximè exosa; ut quæ meram contineant hypocrisis, aut importent cultum irrationalem, spiritu vitæque carentem; & referentem hominem opere operato sese jactantem & ostentantem. Quid ineptius & à ratione magis devium, quam sibi imperare preces quatuor horarum, cum consistas in primis regenerationis gradibus, & cælestibus adhuc non assuetus vix quadrantis horæ spatium precibus spiritum & ardorem impartiri possis? Quid loci reliquis temporibus precibus superest, ubi jacet animus, & vacua tantum verba funduntur? Quando itaque Apostolus jubet ut precemur semper, puto id intelligendum de studio & cura acquirendi per meditationem & commentationem rerum spiritualium facultatem precum: aut de illis precibus Apostolum loqui, quæ continuò proficiuntur ab animo hominis devoto, qui in Deum recumbit, & intimis animi sensibus indefinenter per vota, desideria, & gratiarum actiones Deum suum veneratur.

Hoc



Hoc ita confecto atque constituto, liquet in quibusdam circumstantiis aliquos homines ad illustriora pietatis opera teneri, à quibus alii absunt sine peccato; nec tamen inde confici consiliis & operibus supererogatoriis locum esse, aut legem non summam & omnibus suis numeris perfectam sanctitatem præscribere; sed per consilia aspirari posse ad ea, quæ dignitate sua legis præscriptum transgrediuntur: aut homines posse à quibusdam sanctis & heroicis operibus se temperare, & eorum loco, ea quæ carnis sunt sectari, quamvis se ad ea animatos experiantur: aut eos rectè posse suscipere personam hominis adulti; cum viribus & statura tantum sit puer. Manet itaque vis legis divinæ *diliges Deum ex omnibus viribus, &c. & proximum sicut te ipsum.* Etiam illius. *Quod reliquum est fratres, quacunque sunt vera, quacunque veneranda, quacunque justa, quacunque pura, quacunque amabilia, quacunque boni nominis, si qua virtus, si qua laus est, hac cogitate Philip. 4.* Neque tamen omnium Christianorum paria sunt officia & munera. Et tamen præcedenti lege omnia cadunt sub officium hominis Christiani. Nullus itaque rectè & sine vitio aliquid omittere potest, tamquam lege non præscriptum, quod tamen consiliis & votis agendum suscipit, ut aliquid legis perfectionem excedens.

Non itaque metus prolabendi in errorem eorum, qui consilia, opera supererogatoria, & nova præcepta Evangelica tuentur, nos deterrere debet ab amplectenda sententia eorum, qui existimant polygamiam sub lege licitam fuisse, at sub Evangelio prohibitam. Quod etiam ostendit illorum probatorum doctorum sententia, qui cum acerrimi oppugnatores sunt dictorum errorum, tamen polygamiam & repudia sub lege licita fuisse arbitrantur, & sub Evangelio severè interdicta. Potest enim hæc sen-

O

tentia

tentia subsistere, nec tamen alteri inde parari præsidium. Quod quidem eveniret, si huic sententiæ connexum foret in polygamia sub lege aliquid moralis vitii fuisse, ad quod Deus indulget sub lege: aut alia esse officia hominis Christiani quam Iudæi, manentibus iisdem personarum appendicibus.

Caterum concesso, polygamiam sub lege vitio non caruisse, videtur tamen sequi insignem mutationem, post perpe-  
trationem peccati in legibus de conjugio factam esse. Ex prima enim institutione ita duo per conjugium coalescebant in unum corpus, & tale par, æquale, & mutuuum jus oriebatur inter conjuges, ut tam de uxore quam viro ratum esset, id quod habetur, *1 Cor. 7.* uxor non habet potestatem in corpus suum sed maritus, ita etiam vir non habet potestatem in corpus suum sed uxor ejus. Ita ut Apostolus paribus officiis & voluntatibus, viri & mulieris definierit jus. Videtur enim sub lege illud par & mutuuum jus defuisse; & uxorem quidem eo vinculo adstrictam mansisse, virum tamen criminè adulterii se non fecisse obnoxium, quando vivente priore uxore aliam sibi adjungeret. Esset itaque, post peccatum propter mutationem conditionis & dignitatis mulieris, declinatio facta à prima conjugii institutione, & quam Christus *Math. 9.* rursus in usum revocavit: & ideo illa nova Christi sanctio nullum haberet momentum ad probandum legem primam conjugii viguisse sub V: T: Cum inde sequeretur, Patres sub V: T: & quorum vita exemplo & disciplinæ aliis est, non solum non magnopere in virtute processisse, sed adulteriis se polluisse: Qua voce uti verentur etiam illi, qui tam acriter tuentur Patres sub lege polygamiâ se peccati reos fecisse; & sub Novo Testamento in eâ adulterii crimen esse docent; & tamen, quod mirificum est, pugnant pro utraque illa sententia

rentia ex prima institutione conjugii; & ex doctrina Christi: ex illorum itaque sententia unum idemque crimen eadem poena vetitum, à personis in iisdem circumstantiis constitutis perpetratum, in unis erit adulterium, in aliis infirmitatis peccatum. Neque ad. agnorantiam Patrum illorum tamquam ad asylum recurri potest. Non enim prætendi potest ignorantia non affectata: Nam tunc sancti illi Patres omnia in re peccato caruissent. Deinde si jure naturæ prohibetur polygamiâ, quo pacto evenit, in re tanti momenti, & in peccato tam enormi, naturam tam cito suæ primæ institutionis oblitam fuisse, cujus vis apud omnes plurimum valet; & tum maximè cum idoneam complexa est naturam: quæ nec consuetudine prohiberi solet, quin jus suum teneat, & à qua præcipuè specimen naturæ capiundum est; præsertim si propius abest ab ortu & divina progenie. Erat itaque per ignorantiam affectatam: sed illa nec excusat, nec imminuit peccatum; & ita sancti illi Patres Spiritu Deo acti tamen ad tantum se proripuerunt nefas, quod morte vindicari solet. Et cum Deus tam sanctas populo Israelitico tradiderit leges, istius sceleris non tantum nullam prohibitionem prodidit, sed illas leges circa pluralitatem uxorum tulit, ut nisi vis primæ institutionis viguerit in animis Israelitarum, vix aut ne vix quidem ullus rem aliter cogitatione complecti potuit, quam eam fuisse concessam.

An non ea sententia forte tolerabilior est, quæ docet prima institutione polygamiâ non fuisse prohibitam, ita ut ne sub Novo quidem testamento, ejus prohibitio facta fuerit, quam illa præcedens; & quæ sanctos Patres tanti criminis reos arguit: præsertim cum huic sententiæ favere videatur, quod in prima institutione non fiat expressa mentio matrimonii inter duos tantum habendi, neque illatione manifesta id conficiatur; neque etiam ex ver-

bis Christi, res in aperto ponatur. Ostendit equidem Christus, primum conjugium ita institutum quod individuum vitæ consuetudinem continere debeat; quod ideo nullus inire debet nisi animo manendi in eo ad ultimum vitæ spiritum; quodque ita repudia, sub lege concessa, non mutabant legem illam perpetuam de perpetuo vinculo conjugii, quasi per libellum repudii Iudæis concessum, illata esset conjugii illa mutatio, ut jam non amplius complecteretur perpetuam vitæ consuetudinem, sed quod possent iniri servata viro libertate se solvendi illo vinculo, quando uxor minus esset facta ad ejus genium & mores; & eo sensu negat Christus repudia convenire cum prima institutione; & ea vitiosa fuisse docet; & Iudæis tantum concessa propter cordis duritiam: concedens pravis eorum moribus, ut cum libertate & potestate repudiandi, quasi matrimonii vinculum esset solubile, conjugia celebrarent. At Christus ita repudia damnans, polygamix tamen nullam inurit notam, & tacitam prætermittit. Quam si damnasset, essetque adulterium in ea implicatum, ne ad momentum quidem inter Christianos, ubicunque terrarum degissent, tolerata fuisset. Et sine dubio *Actor. 15.* institutionibus primæ Synodi proscripita fuisset. Quod non est factum. Nec est existimandum, ideo illius in Synodo nullam factam mentionem: quia inter eos, qui recens Christianismum amplexi erant, de ea re nulla erat controversia. Quà enim veri specie dici potest neophytos illos Christianos de scortatione dubitasse, an esset ponenda in vitio, quæ ferme apud gentes omni ævo habita fuit res probrosa, de polygamia tamen persuasos fuisse, illam vitio fuisse vertendam, quæ apud omnes gentes Orientales vigeat, & labe carere putabatur? Nonne verisimilius est polygamiam lege naturæ non esse damnatam,

ram , neque Christi instituto abolitam : quandoquidem ejus usum in Ecclesia Christiana diu durasse non absurdis argumentis adducti multi credunt. Apostolus, 1 *Tim.* 3. imperans ut Episcopus sit unius mulieris vir , & ita à polygamia liber sit , seque contineat , concedit reliquis Christianis potestatem eodem tempore plures habendi uxores : & locus citatus , *Rom.* 7. idem confirmare videtur , quia Apostolus utitur similitudine ducta à muliere , & non à viro , cui alteri viro , priore superstite , nubere fas non erat : at virum in exemplum non adducit. Ita ut videatur polygamiam primis Christianismi temporibus non fuisse interdictam ; sequentibus tamen ævis illam abiisse in disuetudinem , & tandem postea fuisse improbatam , quia inter Romanos , quorum imperium longè lateque patebat ; & quorum mores gentes , quæ eorum imperio parebant , ascescebant , polygamia non erat in usu , cum etiam , quia progressu temporis , nescio quo fato , doctrina & mores Christianorum eo inclinabant , ut etiam concessos congressus , & legitimos concubitus viles , & christianis parum convenientes duxerint ; quasi delicatior & mollior eorum ratio esset , quam Christianorum gravitas postulat ; unde in eorum constitutionibus & decretis natæ tot leges , quibus conjugium nota aliqua inuritur. V: G: secundis nuptiis non benedicitur , neque illis , qui ad eas transeunt ad dignitates Ecclesiasticas aspirare licet : Presbyteris in nuptiis bigami prandere non licet : Digami Diaconi , aut Presbyteri nomen tantum retineant , officio tamen non fungantur : Episcopi uxores pro sororibus habeant : Clericus , qui viduam duxerit , degradetur. Qui itaque tam parum æque judicabant de justis uxoribus , & conjugiiis legitimè contractis , quid mirum , si ea conjugia damnarunt , de quibus aliqua du-

bitatio esse poterat propter quarundam gentium consuetudinem, quæ ab illis abstinebant. Quid mirum polygamiam ab iis condemnatam, qui secundas nuptias vitiosas ducebant. Denique quomodo poterant congruenter suis institutis, Christianis polygamiam permittere, qui in Ecclesiasticis personis congressum cum justa uxore impurum putabant. Illi itaque, qui polygamiam amplectuntur non moventur exemplis Christianorum, qui jam à pluralitate uxorū abstinent, sed sibi fas esse æstimant æque à communi illa consuetudine recedere, quam Reformatis licuit antiquas conciliorum constitutiones abolere; & Ecclesiasticos in re conjugali eodem jure habere, quo vulgares Christianos.

Quamquam hæc cum specie pro illa sententia proferri possunt, me tamen non traducunt in eorum partes, qui pro ea nituntur: sed polygamiam in prima institutione prohibitam fuisse puto propter rationes supra traditas; & petitas à naturali dignitate mulieris: ab amoris conjugalis natura, sese prodente in omnibus qui ambiunt: à legis & institutionum verbis, quarum vis subsistere non potest cum polygamia. Nempe quod Deus marem & foeminam creaverit, non foeminas: quod debeat adhærere uxori suæ, non uxoribus, quod Deus viro adjungat adiutorem non adjuutores. Neque refert quod Deus in prima creatione jam ante lapsum virum constituerit in caput mulieris, & ita dignitate eum priorem fecerit, 1 *Cor.* 11. non enim inde sequitur, mulierem ita viro in conjugio inferiorem fuisse, ut mutuum jus non eousque fuerit in utriusque corpus, ut sine ejus qualicunque violatione plures uxores potuerit asciscere. Et ideo non existimo mulierem post peccatum ita à sua dignitate dejectam, ut illud jus mulieris pristinum, non fuerit conservatum integrum, quamvis ante lapsum  
mulier

mulier fuerit in tutela viri. Nam quod dicunt, polygami-  
am viguisse inter Israelitas, eo causam non obtinent: cum  
homines obliterati primæ institutionis, & degentes in regio-  
ne, in qua temperamentum ferme ultro istos mores pro-  
fundebat, ita facile migrarunt in ingenium & instituta eo-  
rum hominum. Nam quamvis polygami-  
am etiam sub lege peccatum fuisse arbitror, non tamen puto eam fuisse  
longam aberrationem à primis secundum naturam: & ideo  
ratio, quare illa ponenda erat in vitio, adeo prompta non  
fuit; neque vi genitali altum vitii illius impressæ fuerunt no-  
tiones animi, ut sit in iis à quibus naturâ abhorremus, & quæ  
insigniter naturæ modum excedunt, eique adversæ sunt. Et  
ideo non puto formalem rationem adulterii, quod Scriptura  
tantopere damnat, & inter facinora recenset, residere in-  
polygimia. Sic & tempore Novi Testamenti polygami-  
am illicitam fuisse statuo: Docet enim Apostolus, unum quem-  
que, qui affectibus suis imperare non potest, debere ha-  
bere propriam suam uxorem, & omnem mulierem pro-  
prium suum virum, ut ita suos affectus cohibeant intra præ-  
scriptum legitimi thori. At mulier non potest habere pro-  
prium suum virum, si in solidum eum non possideat.  
Neque ratio patitur vocem propriam in eodem versu di-  
versimodi sumi, nisi aliqua necessitas illam nobis im-  
ponat legem: at adversarii nullam necessitatem ostende-  
re possunt præter eam, quam argumenta, quæ pro eorum  
sententia producta fuere, produunt, quæ à nobis subversa  
putamus. Adde usum totius Christianismi, qui talis est,  
semperque extitit, ut ubicunque doctrina Christiana fue-  
rit recepta, ibi cum illa invaluerunt mores de possidenda  
una eodem tempore uxore. Neque arbitrandum polyga-  
miam propter eandem rationem tam citò deletam ex mo-  
ribus hominum apud quos religio Christiana tenuit, pro-  
pter

pter quam invaluit error apud Christianos, quo multos legitimos congressus vitii insimulabant; qui error natus ex contemptu matrimonii, & ex nimia æstimatione cælibatus: ille enim error primis Christianismi seculis Christianos non invasit, sed sequentibus seculis ab ortu Christianismi fatis remotis. At polygamiae interitum statim attulit Christianismus omnibus in gentibus, ubi Christi doctrina fidem invenit; & fuit tantum tolerata in iis, qui antequam doctrinam Christi erant amplexi, plures sibi junxerant uxores: non poterat enim una uxore reservata reliquis repudium mitti & juberi suas res seorsum habere, sine summa ipsarum injuria & probro, quæ redundasset in Christianam doctrinam: habuerunt itaque fatis, si Christianismum professis & ad conjugium properantibus, polygamia interdiceretur. Quod autem *Actor. 15.* in constitutionibus istius Synodi polygamia non prohibeatur, id inde natum arbitror: quia gentes moratiores, etiam antequam apud eas Christianismus esset introductus, à polygamia abcrant, eamque vitiosam ducebant. Apud Romanos non erat in usu. Et græci sibi non ita frequenter in hoc indulgebant. At Synodus habita fuit, ut docerentur Christiani recens ex gentilismo conversi, quousque mores & cæremonias judæorum adoptarent. Præterea si commoda ratio reddi non posset quare in illius Synodi decretis non sit facta mentio polygamiae, non rectè tamen inde concluderetur, id factum, quia Apostoli in ea nihil culpandum habebant: nam nec incestus in illa Synodo prohibentur; & tamen erant gentes apud quas isti amores liciti putabantur. Manet itaque fixum atque firmum polygamiam à mundi exortu fuisse prohibitam, idque naturæ lege; atque ejus legis vim permanuisse usque ad extremum. Atque hæc ad rei necessitudinem dicta sufficiant

de



de conjugio; ejusq; vinculo. Nunc excutiendum restat, quibus de causis illud vinculum legitimè solvatur: atq; ea occasione agendū erit de adulterio, propter quod omnium Christianorum consensu pars læsa à parte noxia se separat, & à cohabitatione, & thori communicatione abstinet. Reformati autem ipsum conjugale vinculum ita eo solvi posse docent, ut parti læsæ jus inde oriatur ita abdicare partem ledentem, ut aliam mulierem sibi in uxorem possit adjungere.

## D E

## A D U L T E R I O.

Arbitror lectori ex iis, quæ supra tradita sunt, constare ea quæ ipsam conjugii naturam spectant, & ad ejus formalem rationem pertinent, talia esse, quæ homines sua sponte, ex arbitrio atque libitu non potuere constituere: atque ita illa pacta matrimonialia, quæ causam rationemque conjugii continent, non esse hujusmodi, qualia sunt pacta merè civilia, quæ ab arbitrio privatorum aut Magistratus pendent. Et hujus dissimilitudinis ea causa est, quod in conjugio de dignitate naturali viri atq; mulieris agitur, de qua pacisci nullus potest: sed illi contractus, qui formaliter jus naturale non continent, sunt in Magistratus aut privatorum potestate. Docuimus etiam in superioribus, conjugium ex institutione creatoris, cujus institutionis semina etiam naturæ indidit, contrahi debere animo continuandi vitæ consuetudinem ad ultimum vitæ spiritum, & donec alteruter conjugatorum morte ultimum diem confecerit. Deinde, ut sit inter duos, marem & foeminam. Reliqua quæ in conjugio apud varias gentes variè observantur, à consuetudine & institutionibus civilibus originem habent. Porro fundamentum duarum istarum conditionum est copula; absque qua omnis conjugii ratio perit; & conjunctio, quæ inter virum & mulierem intercedit, utcunque constans & firma; & qua-

P

cun-

cunque amoris conspiratione consentiens esse possit, si copulæ usus non intenditur, conjugii nomen non meretur. Nihil autem refert possitne concubitus prolificus esse nec ne, modo sit legitimus & naturalis: Nam ex supra memoratis liquet, matrimonii jura oriri ex actu illo, quo duo coalescunt in carnem unam: qui actus non desinit parere eam conjunctionem, etiamsi proles ex eo non speretur. At quemadmodum copulæ est fundamentum reliquarum duarum legum conjugii, ideo per polygamiam & adulterium intelligimus contra leges illas conjugii peccari. De polygamia ad rei necessitudinem dictum est. Nunc de adulterio habendus sermo.

Quid sonet adulterium, quæque res huic subjecta sit voci, ex gentium & populorum consuetudine petendum est. Nos nunc investigabimus quæ sit vis hujus vocis in legibus, Judæis à Deo præscriptis, & quis ejus in Novo Testamento sit usus. Existimo rem omni dubitatione carere, adulterare aut adulterari in scriptis V: T: propriè significare mæchari, hoc est uxorem alterius subagitare. Et quamvis vox mæchari etiam græcè & hebraicè expressa, nonnunquam pro scortari usurpetur, circumstantiæ textus tamen significationem vocis ita limitant atque restringunt, ut omnes interpretes illam vocem cum de muliere libera est sermo exprimant per voces scorari & mæchari, ita ut Scriptura hac in re sicut in multis aliis privatis suis verbis utatur: quando vero de muliere maritata sermo est, tunc consuetudinem viri cum tali muliere exprimunt per voces mæchari & adulterari, propriè sumptas. Concedo alioquin lubens mæchari aliquando sumi pro quovis illicito (sed tamen naturali) concubitu. Et ita ex Judæis nonnulli, voces legis, non mæchaberis extendunt ad omnem venerem non conjugalem. Sic etiam vox adulterari non semper in prima sua signi-

significatione subsistit, sed nonnunquam pro simplici scortatione, vel etiam pro stupratione sumitur. Sed quicquid horum sit, parum interest: sufficit ex consuetudine loquendi in V: T: usurpata, per adulterium intelligi concubitum viri cum muliere maritata, aut mulieris maritatæ cum alio marito, aut cum persona libera vide, *Genes.* 39. 24. *Levit.* 18. 20. & 20. 10. *Deut.* 22. 21. 22. &c. Inspiciantur omnes textus, & præsertim illi, qui continent leges contra adulterium, & in quibus illa vox propria, non translata significatione usurpatur, & comperiet lector me vera asserere. Et ex adverso, nullibi occurrit textus ubi vir per polygamiæ adulterium commississe dicatur; cum tamen adulterium distinctum ab aliis vitiis in Scriptura sæpius describatur. Coitum viri uxorati rem habentis cum fæmina libera non memini ulla distincta voce in Scriptura exprimi, ita ut non constet quo nomine illud vitium appellandum sit. At satis constat ex consuetudine loquendi Scripturæ, illum coitum adulterium vocandum non esse. At inquires quæ est itaque formalis adulterii ratio? Respondemus illam contineri in violatione fidei datæ in contrahendo matrimonio, & quæ respectum suum habet ad illum conjugalem actum per quem duo fiunt in carnem unam. Sed quemadmodum conjugale pactum non ex hominum arbitrio instituitur, ita etiam illud, quod ad essentialia matrimonii pertinet, legibus privatorum aut civitatis non constituitur. Existimo itaque inter virum & fœminam nunquam ita par & æquale jus fuisse, ut vir ascitens sibi secundam aut tertiam uxorem, ideo tale peccatum commiserit, quod Scriptura adulterium vocat: idem sentio de consuetudine maritati cum scorto, quod tamen peccatum priori gravius duco, quia in eo magis violatur dignitas naturalis mulieris. Horum omnium ratio est, quia ea non est vo-

cis adulterii in sacris significatio aut vis. Neque etiam ratione naturali potest probari, pari injuria uxorem, quando maritus cum alia muliere rem habet, affici, qua maritus, quando uxor fidem fallit. Imo contrarium facile ostenditur atque probatur ex dignitate, quâ maritus supra uxorem eminent. Quemadmodum gravius peccatum est inobedientia filii erga patrem, quam Patris neglectus officii filio debiti. Et hæc est causa quare quondam à Jurisconsultis adulterium tantum à parte uxoris fuerit existimatum. Quod autem Christus docet, virum etiam adulterium committere, quando extra casum adulterii, repudians primam uxorem, aliam ducit, non ideo est, quod vir consuescit cum alia muliere, uxore superflite; & cum eo adhuc per conjugium ligata: sed quia per repudium rescindit prius vinculum; & quod vinculum extra adulterium indissolubile erat, idque in gratiam secundæ uxoris, quam ducere destinat. Constat itaque adulterii ratio (de quo Christus) in affiscenda uxore secunda, quo fiat solutio vinculi conjugalis cum priore uxore. Sed ex Christi responso non liquet, semper vinculum conjugale solvi, quoties secunda uxor affiscitur. Imo contrarium videtur esse manifestum: quia Christus docet tunc committi adulterium à viro, qui sibi adjungit aliam uxorem, cum repudiat priorem uxorem, innuens libelli repudii inefficaciam, & insigne peccatum quod, quamvis intercederet libellus repudii, perpetrabatur.

Qualiscunque verborum Christi sensus esse possit, non potest ex iis probari, uxorati consuetudine cum muliere libera, adulterium propriè dictum contineri. Neque hæc sententia adeo aliena est, cum Jurisconsulti distinguant inter adulterium simplex & qualificatum, & posterius tantum capitale est perhibent, hoc est adulterium propriè vocandum esse: quamvis in eo falsi sint, quod coitum uxorati cum per-

sona

fōna libera adulterii inſimulent, quemadmodum maritate cum libero; putantque illegitimos illos concubitus eodem jure habendos; quodque priorem inconceſſum concubitus, etiam nomine adulterii indigent, id non eſt ex ſacræ Scripturæ conſuetudine. Docent quidem omnes Reformati per prius adulterium etiam vinculum conjugale ſolvi, & parti læſæ concedunt poteſtatem nubendi alii viro, ſed ego lubenter rationes & ex jure naturali, aut ex Scriptura petitas videre velim, quibus illa doctrina & uſus probetur: & quandoquidē conjugii leges, quæ ejus ſubſtantiam ſpectant, nulla poteſtate civili mutari poſſint, non ſatis intelligo quo pacto magiſtratus Chriſtiani hoc ſuum factum tueri poſſint, & mulierem ita quantum ad conjugii jure exæquare cum viro, quæ Deus in prima creatione potiori jura eſſe voluit, non tantum quoad excellentiam, ſed etiam quantum ad jura, quæ copulâ implicata ſunt. Cujus rei maniſeſtum documentum nobis præbent, ea quæ ſupra in medium allata ſunt de adulterio, ejusque pœna: ut & libellus repudii, cujus facultas viro tantum fuit conceſſa, ſicut etiam uſus aquæ amaræ, quando maritus dubitabat de fide uxoris; ejusque periculum facere volebat, etiam marito tantum fuit permiſſus.

Cui hæc reſponſio non placet, fortasſe melius in hac conqueſcere poterit. Nempe ſub Novo Teſtamento adulterium ſtriſtiſſimè dictum committi, quando maritus cum libera conſueſcit: quia Chriſtus ſub gratia, uxoris atque mariti mutua jura exæquavit, ita ut utrique in mutuum corpus par jus competat. Quæ nova mulieris dignitas novas leges & novos mores poſtulat: Ego quidem non ponam in magno diſcrimine quodcunque ſtatuatur, modo hæc tria facta recta maneant. 1° in Polygamia peccari contra dignitatem naturalem mulieris. 2° In coitu uxorati cum libera muliere, plus ſimplici ſcortatione peccari. 3° ſanctiſſimos

Patriarchas per polygiamiam se non polluisse fædo, exoso & ubique in sacris tantopere detestato peccato adulterii Ego enim existimo, eos qui Patriarchas istius criminis reos agunt, tantum religioni præjudicium creare, ut vix illa contra gentiles & Atheos defendi possit. Cujus enim animus vera religione tangi potest, qui credit Deum sanctissimum adulteros sibi præcipue caros habuisse; alloquio divino illos dignatos; & eorum institutis atque exemplis mundum à vitiis ad sanctitatem traducere voluisse. Denique veram & tantopere in Scripturis prædicatam atque requeſitam sanctitatem posse in una sede morari cum tam fædo peccato: & simul Deo tam parum curæ fuisse salutem hominum, ut nec intus naturæ altè insitis legibus, nec foris hominibus positis, eos munierit contra tam exitiales errores, ita ut etiam viri sanctissimi, qui piis cogitationibus semper pectus repletum habebant, adeoque consuetudine peccandi minime excæcati, hac in re tam turpiter sese dederint.

## DE DESERTIONE

## MALITIOSA.

**P**orro quemadmodum hæſito utrum simplici adulterio (tale voco cum maritus cum libera rem habet, non quando uxor corporis sui usuram viro matrimonio libero & soluto, præbet) matrimonii vinculum solvatur, ita vehementer dubito an desertione malitiosa pars desertæ libera fiat à deserente. Tota hæc Reformatorum doctrina nititur loco, *1 Cor. 7. vers. 15. Si vero is, qui infidelis est separat se, separet se: non est servituti addictus frater,*

ter, aut soror in istis; ad pacem nos vocavit Dominus. Largar à nobis dissentientibus, per verba, non est servituti addictus frater aut soror, debere intelligi solutionem à vinculo conjugali, & per separationem, quæ proficiscitur ab infideli, desertionem intelligendam esse. Sed requiro ab adversariis, quid intelligant per *desertionem*. An mariti aut uxoris talem separationem, qua alteruter fugit, aut abdit sese per aliquod tempus, ita ut rectè inde conjicere liceat fugientem & latentem vitæ societatem cum conjugate colere nolle; Sed durum est per *separationem* id intelligere; cum circumstantiæ satis doceant, Apostolum loqui de casu, qui ævo suo poterat evenire, quo pars infidelis se separabat ab infideli propter sacrorum diversitatem; & qui ideo non fugiebat, aut sese occultabat, aut ab hominum, imo ne ab uxoris ore concedebat, sed qui apertè sese à conjugate separabat. Ergo per *separationem* hic nullo modo intelligi potest desertio talis, qualem nostri Theologi fingunt; & justam causam præbere docent dissolvendi conjugii. Deinde quæ ratio suspicandi talem separationem, aut desertionem, quam urgent Theologi nostri, partem læsam & desertam solvere vinculo conjugali, cum ex illorum sensu Christus dilucidè docuerit nullam repudii causam justam & legitimam esse, quam eam, quæ ratione adulterii instituitur? An ergo tanta vis erit desertionis, ut eâ eludatur doctrina Christi; & frequentia repudia sub alia specie & prætextu in Christianismum introducantur? Nam quid refert sive repudiem uxorem ob causam non justam, sive me ab ea separem, modo solvatur matrimonium? An tanto efficacior erit desertio quam repudium, quod etiam mulier deserens maritum, eo ipso virum vinculo conjugali exsolvat, quod mulier apud Judæos per libellum repudii obtinere nequivit: quia in ea Reipublica jus repu-

repudiandæ uxoris marito tantum fuit concessum, at nunquam uxori: neque illa potestas unquam usurpata ab uxore, nisi postremis Judæorum seculis, & cum eorum Respublica egregie corrupta jam prospectaret ruinam. Quis suspicari potest mariti vitam profligatam & in omnia scelera præcipientem, uxorem non solvere conjugii vinculis: at ejusdem mariti, sub infideli Magistratu de gentis separationem, qua declarabat se cum uxore nullam vitæ consuetudinem velle habere, illam sui juris constituere, & tamen tueri omnia repudia extra casum adulterii esse prohibita. Quis cogitet virum ad metalla damnatum, aut sententia judicum perpetuo carcere arcendum; & quidem suo merito & culpâ, uxori ita conjunctum manere, ut uxor sine adulterii crimine alii nubere non possit: at desertionis eam esse vim, ut ea separare possit, quæ Deus conjunxit? Deinde quod est discrimen inter desertionem & repudium, si alter conjugum sub Magistratu infideli, qui hujusmodi separationem legitimam putat, se separat ab altero, vivens in eodem loco & in conspectu, atque sub oculis partis desertæ? Ego certe nullam differentiam, quantum ad substantialia in istis duobus reperio.

Ostenditur etiam inde absurditas sententiæ adversariorum, quod indicare atque docere non poterunt, quæ illa sint, quæ requirantur, ut alteruter conjugatorum ita desertus putetur, ut jus atque facultas contrahendi cum alio matrimonium inde orta sit. An viro, qui caput uxoris est, non licebit invita uxore, quamvis conscia; iter in Indiam suscipere, quin se reum constituat malitiosæ desertionis, ita ut ideo uxor post aliquot annorum decursum à viro libera reddatur? Sed inquires, justa vel injusta proficiscendi causa vinculum conjugale solvet, vel non solvet. At quis judicabit in re domestica de justa aut injusta causa, præsertim cum vir jam peregrinatur. Et conjugii stabilitas in  
hoc



hoc casu pendebit à dubio utrum maritus jure peregrinetur, nec ne. Vel an potius ideo viri iter non erit vocandum malitiosa desertio, quia indicavit uxori, quo tenderet; & promisit se cum ea repetiturum vitæ consuetudinem, si detur salvus redire in patriam. Quasi uxor minus deserta vivat, cujus maritus se consciâ, sed invitâ tamen peregrinatur, quam illa, cujus maritus se insciâ & invita à domo abest, Et quid si vir singulis septenniis revertatur, & statim rursus abeat, & ita reipsa vitæ consuetudinem cum uxore non colat, an talis separatio non erit malitiosa desertio? Tantumne valebit & astutia & improbitas viri, ut cum uxorem non celet quo tendat, & obtestetur se reverti velle, & cum ea vitam exigere, interea ab ea separatus vivat, tunc illa separatio non sit vocanda malitiosa desertio. At cum clam uxore eandem illi imponat solitudinem; eademque faciat experiri incommoda, tunc illa res tanti erit sceleris ut conjugale vinculum inde rumpatur. Interrogo deinde ad quam legem referant desertionem malitiosam? Ad legemne naturalem? An ad aliquam positivam Christi? Quodcunque dicant, induent sese in difficultates inextricabiles: quia non poterunt, nec tempus definire quamdiu alter conjugum latere debeat antequam alteri concedatur potestas, secundas & novas contrahendi nuptias: nec formalem rationem indicare, propter quam malitiosa desertio conjugium dirimat: cum plures dentur casus, in quibus viri aut uxoris malitia tanta est; tamque voluntaria, & incommoda, quæ ex iis redundat in alterutrum conjugum, tam gravia (& quibus tamen conjugium solvi non putatur) quam in malitiosa desertione. Et proculdubio in repudiis occurrit malus & vitiosus animus non volens exigere vitam cum thori focia, & fraudatur uxor viri officio & debita benevolentia. An vero causa

Q

solu-

solutionis vinculi conjugaliter animus alterius conjugum  
 nolentis pro vitæ focia habere eum, qui Christianismum  
 profitetur? (ad hujus enim dubii quæstionem Apostolus  
 respondere videtur loco illo citato & famoso) at tunc illa  
 communis malitia, quæ in desertione malitiosa sese pro-  
 dit non parit jus dissolvendi matrimonii, sed malitia sin-  
 gularis, quâ propter fidei Christianæ professionem alteru-  
 ter conjugum deseratur, hoc est repudiatur, & res suas se-  
 orsum habere jubetur. Et ita illa desertio malitiosa propter  
 quam nunc apud Reformatos matrimonium solvitur, non  
 est vera & iusta causa illius solvendi; neque illa loco, 1 *Cor.* 7.  
 indicatur. Et mihi nullum est dubium, quin de illo casu  
 particulari in illo loco agatur. Et licet suspicari istius legis  
 hanc fuisse causam, nempe ut fidelis eximeretur illa dura  
 lege vivendi cum marito infideli ipso invito: utque ita  
 vitarentur perpetuæ rixæ, per quas fideli eripitur facultas  
 colendi Deum in pace, & quiete; atque ut ita tolleretur  
 obex, qui doctrinæ Euangelicæ poneretur durâ illa lege  
 atque necessitate vivendi.

Quamquam hæc expositio possit habere suum applausum,  
 ego tamen in ea non possum acquiescere propter verba Chri-  
 sti ita dilucide docentis omnia repudia extra causam adulte-  
 rii esse illicita. At supra ostendimus separationem & repu-  
 dium eodem redire. Et difficulter apud me fidem invenit,  
 quod, cum conjugii leges tam duræ sint, ut nec morbus,  
 nec impotentia, nec stultitia, nec vita profligata, nec servi-  
 tus, nec carcer perpetuus, vinculum conjugale solvat, fidei  
 Christianæ illa sit vis, ut si propter eam pars infidelis se se-  
 pararet, pars fidelis libera reddatur à vinculo. Cum quia  
 religio Christiana sese præcipuè commendat à charitate,  
 tolerantia, & vi domandi libidines, tum etiam à tuendis ma-  
 trimonii legibus. At quanta aperitur fenestra dissolven-  
 dis

dis nuptiis, quanta fraudibus? Si viro religionem Christianam, sive verè, sive per speciem amplectenti, propter eam desertæ jus sit novas comparandi nuptias. Existimo itaque per verba *separet sese infidelis, frater aut soror non est servituti subiectus in hujusmodi rebus, sed ad pacem nos vocavit Dominus*, alterutrum conjugem fidelem dispensari & exsolvi lege & officio sese reconciliandi cum altero conjugè infideli: quia reconciliatio cum coniuge infideli & sese separante ab altero conjugè fideli propter fidem, quam fidelis conjux amplexus est, non potest tentari nisi per simulationem, aut per abnegationem fidei. Notum enim est tali in casu nullum ad reconciliationem aditum parari posse, nisi proposito utriusque conjugis aut alterutrius dissentientium partis cedendi de suo jure: qui facilis & officiosus animus sese ostendere non debet, quando inter conjuges orta est propter religionem. Saltem tunc non, quando de summa religionis agitur. Docet itaque Apostolus fratrem aut sororem fidelem non esse subiectam isti servituti, ut reconciliationis causa (cujus studium Apostolus conjugibus imperaverat) per intempestivam animi æquitatem, & morum commoditatem prodat veritatem, & ita infidelem ad cohabitationem inducat. Existimo itaque hunc verborum Apostoli sensum clarum & perspicuum esse, *Verfu 7.* jubet Apostolus, si quæ rixæ ortæ sunt inter conjuges, quæ animorum frigus induxerint, nec sinant eos mutuo amore conglutinari, ut uxor, quæ viro dignitate inferior est, à se reconciliationis initium faciat, coneturque omni officiorum genere viri animum placare, atque emollire: quodsi autem propter viri immanitatem, aut morum importunitatem tentata reconciliatio effectum non sortiatur, bonoque destituatur eventu, ut tunc seorsum vivat, & viri separationem æquo animo ferat;

non tamen se putet à viri lege liberam, ut alii nubere possit. Vocat Apostolus illud reconciliationis officium *servitutem*. Cujus officii gratiam facit, si quando propter religionis Christianæ professionem separatio ab alterutro conjugè facta sit, & cujus separationis causa est pars infidelis: neque permittit ut fidelis per veritatis jacturam reconciliationem parare studeat. Qui hanc interpretationem repudiat, & simul incommoda vitat quæ in desertione malitiosa sese offerunt, mihi aliquid præclarum præstitisse videbitur. Nunc pergitur ad quæstionem de repudiis atque divortiis.

---

## D E

## D I V O R T I I S.

Q Uæstio de repudiis & divortiis admodum celebris red-  
dita inter Christianos propter legem Moïsis (qui Judæis  
indulgit & veniam concessit repudiandæ uxoris, quamvis ad-  
ulterium non intervenisset) & propter Christi doctrinam,  
quæ omnia repudia & divortia tollere videtur extra casum  
adulterii. Quæritur itaque primum quo jure illud à Judæis  
fuerit usurpatum? An sine peccato? & quibus in casibus?  
An tantum peccati permissio fuerit, illiusque concessa tan-  
tum venia, non data libertas à culpa? Atque ita dicendum  
illam legem Moïsis non tam peccatum permisit, quam  
illud tantum liberauit à pœna civili; & ab illo separavit effe-  
ctus civiles, qui si primum conjugii institutum spectes, con-  
venienter sequi debuissent in Republica optimè constituta:  
à qua perfectissimè instituta republica, & sanctissimis atque  
perfectissimis legibus moderata, Moïses, & Deus per Mo-  
ïsem recedere voluerunt propter Judæorum cordis duri-  
tiam.

riem non ferentium illas rigidas leges de matrimonio, quæ illud indissolubile constituunt extra casum adulterii; & ut tale in Republica æstimandum, ita ut adulterii rei peragendi sint, qui repudiata primâ uxore alteram ducunt. Qui existimant per legem Mosis repudium à peccato liberum fuisse constitutum, modo charitatis lex ex alio capite, aliaque appendicula istius facti, eo non violetur, ita argumentari possunt. Quoniam lex Mosis de repudiis clara & manifesta est; simulque constet Moscm, non suo, sed Dei nomine leges suas promulgasse; populoque dictasse ipso Deo quasi in verba præeunte, capere non possumus, quomodo usurpatio istius legis modo charitatis lex inviolata constiterit, non fuerit immunis à peccato. Princeps & Magistratus, qui infra Deum sunt, majoris mali vitandi causâ multa subditis concedunt, & ita absolvunt à legibus, ut earum nulla in Republica sit actio; nullusque propterea causam dicere teneatur: sed quia juris & æquitatis naturalis humanæ & divinæ definitio penes Magistratum non est, subditi facile intelligunt non omnes actiones vitio carere, quæ Magistratus legibus non prohibentur; neque eum effugisse Dei vindictam qui ex edicto Prætoris ad pœnam deposci non potest; cumque minimè probum esse, qui ad leges civitatis suæ tantum probus est. Sed cui in mentem venire potest totam rem manere in numero rerum non concessarum, quæ supremi Legislatoris (penes quem est æquum & iniquum, fas & nefas definire) declaratione hominibus permittitur. Enimvero cum Dei iudicium futurum sit secundum justitiam: quam etiam homines lumine & ratione naturali in ea agnoscunt, qui color, aut justitiæ species obtendi potest, si aliquis pœnæ obnoxius declaratur à iudice, cujus auctoritate & lege illius rei jus fuit concessum? Quis æquitatem in facto iudicis potest suspicari, qui cū expressis verbis declaraverit rem

Q 3.

sub-

subdito fraudi non futuram, eos tamen, qui ea concessione usi sunt, reos peragere? Cum hæc omnia in aperto sint, & sua sponte judicentur, quid causæ est quare in hac contraversia de divortiis & repudiis homines eruditi ita hallucinantur, & à vero aberrant? Tres causæ sunt principes quæ illis causa erroris extitere. Prima quod Christus illud jus libelli repudii sua doctrina evertere videtur. Secunda quod addit illam facultatem repudiandæ uxoris Judæis concessam propter duritiem cordis; unde existimant rem illam reapse & suâ naturâ malam fuisse; & ideo talem mansisse etiam post latam legem de repudio. Tertia causa fuit, quod arbitrentur rectè confici, si lex Mosis exemit illud factum peccatorum numero, tunc omnia repudia à Judæis propter quamcunque causam usurpata à peccato immunia fuisse; quod à ratione alienissimum putant: quandoquidem in plurimis Judæorum repudiis manifesta se prodant defectus charitatis uxori debitæ.

Sed hæc, inquit, specie preclara videntur, sed propius inspecta evanescent. Christus jus libelli repudii, quale apud Judæos obtinuit, abrogavit, quia ad pristinos & cultissimos mores informavit suos sectatores; & voluit ut conjugium inter Christianos in celcissimo dignitatis gradu, in quo collocatum fuit in mundi primordiis, consisteret; & ideo dignitas hominis Christiani jus libelli repudii Iudæorum non admittit. Sed non rectè inde conficitur, jus libelli repudii extra adulterium, fuisse reipsa & per se malum; nec constitutum ad pudicitia & charitatis regulas. Constat enim non semper contra decus & charitatem esse, quicquid summum illarum virtutum gradum non attingit. Et concessit Deus jus repudii Iudæis propter duritiem cordis eorum: quia cum gens à longò tempore assue-ta esset illi usui, vidit Deus, & propter diuturnum illum usum,

usum, & propter insitam illi pervicaciam illam parum capacem tam rigidæ disciplinæ. Attemperavit Deus suas leges viribus Judæorum, quemadmodum Christus & Apostoli manifestationem mysteriorum Evangelii accommodarunt captui discipulorum. Vel potius quemadmodum concilium Apostolorum quod Hyrosolymis fuit habitum, decreta sua condidit de quarundam cæremoniarum observatione. Hoc tamen discrimine casus de divortiiis ab allatis exemplis, divertit, quod Christus docere videatur, Deum jus repudii Judæis concessisse, non simpliciter infirmitatis Iudæorum rationem habens, sed propter multorum contumaciam, non conveniens æstimans sanctiores illis de conjugio leges præscribere; & meritò illos ita privans digniore statu, quo alioquin illa Respublica insistere potuisset: ferme quemadmodum Christus miracula perpetrare non potuit propter incredulitatem Iudæorum. Sed exemplum quod *1 Cor. 6. vers. 1. 2. 3.* extat, proxime ab hoc, in quo in præsentia versatur sermo, abest. Loco citato Apostolus exprobat Christianis, quod in jus de sua re eant; atque judicia habeant apud Iudices, eosque infideles; arguitque eos peccati, quod propter terrena, fluxa, & caduca fratres inter se litigent & turpibus judiciis conflitentur; docetque præstare de suo jure cedere, & convenire Christianis se æquos & faciles præbere; à litibus non tantum quantum licet, sed etiam plus quam licet abhorre: sed quia Apostolus intelligebat communiter à Christianis tam parvos in veritate progressus fieri, concedit illis in litibus suis refugium ad iudices, modo sint illi iudices nostrorum sacrorum consortes: hic ferme parcasus est. Si simpliciter fuisset contra officium hominis Christiani contendere in iudicio cum proximo, nunquam Apostolus primis Christianis illius rei gratiam fecisset, melius enim fuisset in bona re opprimi, quam

quam malè cedere: sed quia res reapse mala non est, quamvis ut plurimum illa malè in usum referatur; ideo cum restrictione & multa cautela, & quasi reluctans & renitens concedit primis Christianis experiendi juris causa ad iudices & arbitros ire. Quemadmodum bella suâ naturâ mala non sunt, quamvis paucissima ita suscipiantur & gerantur, ut iis justitia & charitas non violetur: & ideo quia in proximo confinio belli constituta est injustitia & vindicta illicita; & in persecutione sui juris apud iudicem nimius rerum terrestrium amor & charitatis erga proximum vacuitas, ideo hæc generaliter damnari videntur; eundemque loquendi modum existimant esse, cum Christus & Jacobus jurajuranda, & quicquid simplicem, & candidam affirmationem (quæ fidem suam mutuatur à vitæ probitate illius, qui testimonium perhibet) excedit, damnat.

Nam præterquam quod recta natio nos doceat, exempla modò memorata vitii & peccati simpliciter damnari non posse, etiam Scriptura, quæ docet res illas, quæ primò videbantur prohibitæ, permitti, evincunt rem illam simpliciter non fuisse illicitam: quia quicquid absolutè & per se malum est, illius nec Deus, nec sancti Prophetæ hominibus unquam gratiam fecerunt. Et ex adverso, quia talium rerum adeo affinis est malitia, ideo usus obtinuit, ut vocibus, quæ permissionem innuunt, utamur, quando potestatem illarum faciendarum alicui concedimus. Et pessimè insunt homines, qui, quia legislator rem simpliciter permittit; neque cautionibus aut limitationibus eam restringit, quia infinita casuum varietas hoc non finit, inde conficiunt omnibus & singulis, quovis tempore, & quocunque in casu, licere jure illo frui: cum tamen omnes, qui illud jus usurpare cogitant, ad justitiæ & charitatis regulas respectum habere debeant; & eo attentius



eas leges considerare, quo res, quam animo versant, minus abest ab odio, vindicta, & injustitia atque clementia. Christus itaque in sermone suo de libello repudii utitur vocibus, quibus videtur totum libelli repudii jus potius indultum & permissum, quam vi legis à peccato vindicatum, quia rarò à Judæis usurpabatur æquiter. Ut itaque argumenta illorum, qui existimant repudia Judæis etiam in foro conscientiæ fuisse licita, contraham in compendium. Arbitrantur à summo legislatore rem permitti non posse, quin ea res in aliquo casu sit licita; & ideo per se non mala; adeoque non pugnare cum jure naturæ. Secundo, quando res à summo legislatore hominibus permittitur, illam esse in proximo confinio vitii, & peccati; & ideo cautè & consideratè eà utendum esse. Tertio, nunquam in tali re egregiam virtutem licere experiri, sed ex adverso plerumque in ejus abstinentia heroicæ virtuti materiam paratam. Quarto, non quicquid ab heroica virtute deflectit, aut declinat vitium esse. Ex permissione itaque libelli repudii, facta Judæis à summo legislatore, inferunt, jus repudiandæ uxoris Judæis concessum, non fuisse sua natura malum; neque ejus usum etiam extra casum adulterii & malitiôsæ desertionis, semper à justitia & charitate fuisse alienum; in vicinia tamen mali constitutum; & aliqua quasi cognatione conjunctum, & ita à nulla re commendandum aut probandum. Permissionem tamen illi genti convenientem fuisse, quæ à pristina sua dignitate & virtute desciverat: mores corruerat; & sanctissimarum legum, quibus Reipublicæ dignitas amplior extitisset, incapaces erant; & quod ideo Deus quasi temporum necessitate tulit: in illa gente fuis itaque repudium civibus permissum: non tamquam privilegium; sed tamquam aliquod probum in ejus moribus residens, & ad illius gentis infamiam

R

miam

miam pertinens ; non tamen peccatum , sed peccato adeo vicinum, ut Judæis in usu illius juris rarò constiterit sua constantia, castitas, charitas, & benignitas, quam debebant uxori suæ ; simulque ostenderint, quam parum sua interesse putarent morum gravitate excellere. Hanc causam esse arbitrantur, quare nulla sanctorum virorum in sacris extant exempla, qui jus illud usurparint, aut more illo usi sint ; semperque optimos & prudentissimos ab eo abstinuisse : hujusmodi autem jus in Euangelio abrogatum esse, quia Christus inter Christianos vigere voluit pristinam morum gravitatem & sanctitatem.

Sunt alii, qui non tantum æstimant usum libelli repudii Judæis ad famam non fuisse probrosum, sed neque ad conscientiam flagitiosum, atque ita in foro conscientiæ fuisse licitum, sed etiam Christianis fas esse putant nuncium remittere priori uxori. Nam præter argumenta supra tradita, quibus probari putant repudium suâ naturâ malum non esse, addunt in prima conjugii institutione cum viro fœmina data est in adjumentum, legislatorem non tam copulam carnalem, & corporis complexum intendisse, quam animorum, & suavem atque jucundum convictum : atque ut ita conjugatim mas cum fœmina viveret, cum hoc fine non posse consistere vitam, quæ propter animorum discordiam, & propter importunitatem morum uxoris, in litibus & rixis exigenda sit : præsertim si uxor præterea curam rei familiaris non habeat, sed eam impensas & sumptus inutiles faciendo, exhauriat atque dilapidet ; atque ita viro tantum crux atque pestis existat, & damnorum conciliabulum, quæ tamen in conjugii institutione viro data erat ad gaudium & qua se oblectaret. Addunt præterea, Deum Judæis imperasse, ut ab uxoribus à fide alienis & ab alienigenis sese separarent, & conjugii vinculum sumperent,

*Exod.*

*Exod.* 34. 14, *Deut.* 7. 3. 6. *Esre.* 9. 2. 10. 11. Et inter alias rationes quare Deus velit ut Iudæus cum infideli uxore divortium faciat, etiam illa inculcatur, ne ille per uxorem infidelem seducatur. Et cum Apostolus, *1 Cor.* 6. fideli interdicit consortium cum infideli, rectè inde concluditur matrimonium fidelis cum infideli non esse ratum, præsertim si dolus malus intercesserit, & uxor dissimulaverit se alienis sacris addictam esse. At viro non minus periculum est à seductione per uxorem improbam, quam per eam, quæ aliena sacra colit. Subjiciunt præterea mulierem non sibi natam, sed creatam propter virum: quemadmodum sabbathum institutum propter hominem: at quemadmodum per illam sabbathi subordinationem ad utilitatem hominis, homini fas fuit externam Sabbathi observationem omittere, ut id quod ipsi necessarium esset persequeretur; & ita rectè opera charitatis & necessitatis præverteret operibus legis institutæ & cæremonialis, ita pari ratione jus nasci dicunt marito perrumpendi legem conjugii de perpetua vitæ societate propter opus necessitatis. Et quid magis necessarium, quam vitandi perpetuas rixas causa mulierem talem à se dimittere, quæ ipsi data videtur in seditionem? Addunt præterea, quotidie ferme inter Christianos divortia fieri, quando aut cohabitatio mutuo consensu intermittitur: aut maritus longum iter suscipit: quando iudex reum perpetuo carcere includit; & alios vinculis & custodiis arceat; aut in ultimas terras mandat: nam quamvis, inquit, hujusmodi casus non vocentur divortia (sicut jam vera rerum vocabula perdidimus) sequuntur tamen eos iidem effectus. Omne enim id cessat, propter quod à Deo conjugium comparatum & institutum est: nempe suavitas convictus & scortationis vitandæ remedium. Adferuntur adhuc quædam alia ab hujus sententiæ defensoribus,

sed quia meo iudicio non magni sunt ponderis; & facile ex iis, quæ ad refutationem hujus erroris postea in medium proferam, refelli possunt, ab iis enumerandis supersedebo: ne lectorem in tædium adducam.

His sententiis expositis, nunc, quid de tota hac controversia sententiam, exponam. Et primum aliquid dicam de permissione mali. Ante pacta & firmatam societatem, homines in statu naturali constituti, jus alium puniendi propter peccatum aut noxam non habebant, sed jus, quo coercerent in proximo malum & vitium, nitebatur jure sui conservationis; & exercebatur ab iis non jure imperii, aut justitiæ punitivæ causa, quæ sunt jura nata post constitutum imperium; & post natam civitatem, sed jure illo, quo quisque se suaque tuctur; & quo quisque judex & arbitrer est eorum quæ ad sui conservationem pertinere arbitratur; sive speret per homines, & mundi creaturas, sive per Deum media sui conservandi se parare posse: depellit itaque atque arcet per damnum & noxam, quâ proximum afficiebat ea in ipso vitia, per quæ sua salus vocabatur in discrimen: inde natum, quod non solum ea vindicaret, quæ per se & immediate ipsi calamitiosa aut pestifera putabat, sed & ea, quibus putabat Deum offendi & ejus iram concitari. Post initam societatem civilem, & constitutum imperium, jus puniendi collatum fuit in Magistratus; nititurque ideo illud jus eodem fundamento, quo jus vindictæ inter privatos in statu naturali consideratos. Hæc cognita & nota in vulgus. Et quia propter pacem societatis, jus puniendi non amplius privatis committendum fuit; & quia societates incuntur, ut homines, qui illius partes sunt, sese melius ab hostium vi tueri possent, inde in aperto est, jus vindictæ publicum comparatum esse ad salutem civitatis; & ideo non pertinere ad omnia vitia, quæ in societate perpetrari.

petrari possunt. Primum non ad ea, quæ propter infirmitatem humanam homines vix aut ne vix quidem vitare possunt; & quæ communiter hujusmodi sunt ut nec per se societatem turbent, dissolvant, aut calamitosa existant, nec iram numinis in societatem concitent. Præsertim si Magistratus doctrina & exemplis curet mederi istis infirmitatibus. Secundò non ad ea, quæ sine interitu civitatis vindicari non possunt: sic sæpe connivendum est in peccato magnatis, quem punire non possumus, quin totam rempublicam in periculum adducamus: & hæc necessitas à pœna excusat. Quemadmodum & illa, quæ carere non possumus quibusdam utilitatibus alicujus singularis hominis aut plurium, quin Respublica illico extremis laboraret difficultatibus. Charitas etiam nonnunquam Magistratui legem ponit, quæ nonnulla vitia ferre tenetur: sic quidem contra charitatem peccaret si V: G: Judæos propter faliâ sua sacra extorres patria factos, recusatet in civitatem suam admittere, & fame perire sineret. Hæc nunc succinctè trado, quia fufius hæc tractandi occasio nunc non est, & quia alibi in tractatu singulari totum hoc stadium decurri. Est præterea res extra controversiam, vitiorum & virtutum naturam aliter à Magistratu pendere, aliter à Deo. Legum divinarum exemplar est ipsa sancta Dei natura, à qua leges naturales divinæ atque humanæ tamquam à fonte manant. At legum Magistratus æquitas non petitur à Magistratus animo, sed à Deo. Nulla igitur suspicandi ratio est, rem aliquam ad conscientiam licitam, quia in Republica impunita transmittitur: sed cu de permissione rei, quæ à Deo facta est, lis est, tunc gravior difficultas occurrit, quia cum sit summus legislator, putamus id fas esse (etiam quoad conscientiam) quod lege Dei permittitur. Præsertim cum consideretur Deum esse supra omnem necessitatem, ut qui omnia flectere possit ad

suum arbitrium; & hominibus illam mentem indere, qua præstent ea quæ rationibus sui regiminis conducunt; ita ut necesse non habeat permittere ut aliqua labe in sua Republica hæreat.

Sed pariter hic extra dubitationem ponimus, Deum quantum ad Rempublicam Judæorum duplicem sustinuisse personam: unam, Dei creatoris; quæ & gentium reliquarum & Judæorum Deus fuit; alteram qua Legislatores, fundatores, & institutores fuit Reipublicæ Israeliticæ. Priori respectu tam gentibus quam Judæis legem moralem tradidit, illis quidem scriptam in cordibus, quatenus hominum intellectum informavit ratione, & per rationem notionibus honesti, æqui, atque decoris: hos cumulatione gratia profecutus est, quia etiam eam legem scriptam illis tradidit. Deus instituens Rempublicam Iudaicam, cum potuisset illam formate ad exemplar legum sanctissimarum, & ad normam legis morales, ita ut jure vindicare potuisset in illa Republica, quod in ultimo judicio tamquam peccatum est vindicaturus, id tamen conveniens non duxit, neque necesse habuit: cum ordinans Rempublicam, in cujus legibus condendis rationem habere voluit infirmitatis humanæ, nullo modo hominibus suspicandi locum reliquit, se non sanctum, aut non peccati osorem esse: cum Legislatoris persona non subvertat personam Dei sancti & judicis. Sed difficultas in eo vertitur. Per quod indicium homini constabit, utrum res tantum permissa sit, an etiam lege morali exempta. Præsertim cum res nulla propter necessitatem permissa à Deo putetur; quæ saltem in se & in aliquo casu non sit licita. Sic cum Apostolus Corinthiis concedit & permittit potestatem constituendi ex se arbitros, ad quos lites suas deferant & causam dicant, inde rectè inferitur, saltem in aliquo casu expostulationem injuriarum non fuisse contra

fas

fas & æquum: quamvis ut plurimum Corinthii eo se non proriperent sine charitatis defectu, sicut ipse Apostolus indicat. Respondemus inter permissionem rei simplicem, & ejusdem exemptionem à peccato, sive inter veniam peccandi & libertatem à culpa, distingui non posse nisi per rationem & legem naturalem: si itaque constet rem permissam inter Iudæos lege Mosis, pugnare cum lege naturali, dicendum, rem simpliciter propter rationes politicas permissam: quod si non sit exploratum rem permissam cum jure naturali pugnare, manet etiam illa ancipitis judicii pro ratione & captu eorum, qui de re judicaturi sunt. V: G: qui putant iniquum esse coram arbitris cum fratre lite contendere, & auctoritate atque potentia judicum jus suum consequi, illi dicent judicia & Magistratus Christianis tantum permissa, sed rem vitio in se non carere; qui aliter informati sunt, statuent legem declarare rem permissam vitio carere. Sic ex lege Mosis vindex sanguinis impunè occidebat interfectorem si illum extra urbem refugii offendisset, quamvis innoxium in illo proximo perpetratum esset homicidium. Quæritur utrum illa lege Mosis vindex sanguinis à peccato immunis reddebatur? An potius tantum quidam effectus judicum, qui injustum homicidium vindicare debebant, impediabantur & prohibebantur? Nempe quod prætor illud factum non poterat in crimen ducere, aut aliquem ideo reum agere. Cum jus & equitas naturalis dictet, contra fas homicidium, errore perpetratum, vindicari, non est dubium, quin lex Mosis tantum effectus quosdam impediabat, at homicidium innoxii non minus culpâ vacabat, quam si in alia Republica, quæ legibus illis carcebat, commissum foret. Sunt hujusmodi aliæ leges in politia Iudæorum, quæ rem ipsam, de qua agitur, nec damnant nec probant, sed circumstantias illius rei:

ordi.

ordinant & moderantur: ut de jure Regis Israelitarum, *Deut.* 17. de servo hebræo *Exod.* 21. & *Deut.* 15. De eo qui habet duas uxores unam caram & gratam, alteram invisam aut minus dilectam. Neque generaliter verum est in Republica Judaica nihil unquam permitti potuisse, quod in aliquo casu non fuit licitum, quantum ad conscientiam; exempla memorata contrarium evincunt. Id obtinet non quando in Republica aliquid à Deo permittitur, sed quando conceditur Christianis alicujus rei jus & licentia, quæ per se iniqua quidem non est, sed quæ propter circumstantias periculosè usurpatur, & rarò sine peccato in usum deducitur: qualis est Christianorum persecutio sui juris apud judices, in medio gentilium viventium, & qui modis omnibus præ se ferre debebant, & contemptum pecuniarum, & amorem intensum proximi. Ex hisce liquet, ut hoc breviter dicam, quantope malè illi insistant, qui scientias & disciplinas suis finibus circumscribere præsumunt; earumque Professoribus modum ponere: statuere quid veniat in officium Theologi; quæ disciplinarum pars subjicienda Philosophis: cum ex iis, quæ modo tradita sunt, constet, Theologi & Philosophi partes ita complicatas esse, ut ferme nulla controversia Theologica decidi possit, ubi ratio sive Philosophia suas sibi non vindicet partes; & quidem in multis principatum. In disputatione in qua in presentia versatus est sermo, quanvis ea Theologica putetur, muta tamen esset Theologia, si ratio non vocaretur in subsidium. Et horum omnium causa est, quod Deus in Scriptura homines alloquitur ut ratione præditos, principiis scientiarum & usu rerum imbutos; & quos propterea non habet docere per revelationem ea, quorum cognitionem homo auxiliis & adjumentis naturæ acquirere potest: & sat habet electos Spiritu



ritu suo sancto ducere, quo rectè ratione utantur: at hujus spiritus & gratiæ Theologos tantum esse participes; eosque præcipuè eo prælucente rationem excolere, Theologi pro sua modestiâ sibi non tribuent. Sed ex diverticulo in viam.

Ut itaque ad institutum revertar, non potuerunt Judæi ex libello repudii ipsis à Mose aut Deo concessò, concludere repudia ipsis fuisse licita ad conscientiam: neque etiam potuerunt contrarium ex illa lege deducere. Sed quid de re judicandum esset id petendum ex aliis principiis, nempe prima conjugii institutione, & ratione recta: & ea causâ fuit quare inter Judæos non conveniebat super hac controversia. Lex repudii erat clara & manifesta, neque de ea dubium erat, utrum vi illius legis, illi qui jure repudii utebantur, de reis eximerentur; & ideo adulterii in illa Republica damnari non poterant. Multo minus hoc vocabatur in dubium, an ad legem charitatis in usu libelli repudii non esset attendendum, ita ut cum peccato ad illius usum progredirentur, qui charitatis erant negligentes: norant enim Judæi in usu juris nostri, semper charitatem non solummodo suas partes sibi vindicare, sed quasi præcipuum ferre: sed tota controversia conjecta erat in hanc causam, quid nimirum liceret in conscientia, idque propter dubiam obscuramque rationem; ignorantes quousque prima institutio adhuc vim suam teneret, & quid recta ratio ipsos doceret: Christum itaque adeunt, & ex eo dubii istius solutionem petunt: quem pro insigni doctore & sacrorum interprete habebant; & cujus egregia ediderat documenta. Respondet Christus, libellum repudii illis concessum à Mose propter duritiam cordis eorum, hoc est, Mosè Judæis indulsisse, ut propter repudia in Republica Judaica & adductionem alius fœminæ in domum

S

non

non peragerentur rei, nec deferrentur ad iudicem, aut aliquam poenam, damnum aut probrum subirent: & fecit hoc in gratiam maritorum, qui jam dui in illa consuetudine erant, eamque hausisse videntur à gentilibus Egyptiis, à quibus multos alios mores pravae adoptarant. Nam in genesi nullum proditum est exemplum repudii, & mihi persuadeo gentem Iudaicam ab iis abstinuisse quamdiu Patriarcharum sanctitas & reverentia in ea viguit, quae ubi cadere incepit, tunc convaluerunt impurarum gentium mores. In maritorum gratiam illam indulgentiam in Republica Iudæorum obtinuisse inde manifestum est, quod certis in casibus Maritis jus repudii interdicitur in poenam, vide, *Deut. 22. 29.* fecit itaque Moses quod omnes sapientes Legislatores factitant, qui satius ducunt non tangere adulta & prævalida vitia, quam frustra tentatis remediis palam facere, quibus cives impares sunt.

Dicit præterea Christus Iudæos adulterium committere non simpliciter quando uxorem repudiant, aut quando priori uxori superinducunt secundam, & tertiam, sed quando uxorem repudiant, & novam ducunt, insinuans magnitudinem peccati consistere in repudiatione unius & assumptione alterius. Quia repudians simpliciter uxorem, non se constituebat reum adulterii; & ne tunc quidem quando post factum repudium consuesceret cum libera: quia putamus nos supra probatum dedisse, adulterium formaliter nequidem commissum fuisse cum uxore cum libera rem haberet: sed ad crimen adulterii requirebatur etiam cum alia novum conjugium, tum quia vinculum matrimonii per libellum repudii reipsa quoad conscientiam non dissolvebatur, & ideo qui repudiatam ducebat, committebat adulterium ex Christi interpretatione & doctrina, quia atrectabat alterius uxorem.

cum

cum etiam quia per conjugium alius foeminae, repudiatae major nascebatur dolor: sed praesertim quia spes novi conjugii praecipue divortii locum faciebat, quia mulier quae suae dignitatis aliquam habebat rationem, non facile consensisset in nuptias si maritus non prius jussisset primam uxorem res suas habere, & divortium cum illa fecisset. Quicquid sit, si ve affectus sim rationes veras quare repudium conjugium cum conjugio novo à Christo adulterium vocetur, si ve aliter danda sunt, id manifestum est, Christum eum tantum adulterii reum agere, qui repudiat unam, & aliam ducit. Quae consideratio me rursus movet, ut credam jus civile Paulo aliter de adulterio loqui quam Scripturam. Et statum conjugalem in nonnullis casibus aliter per adulterium pollui, & vinculum conjugale dissolvi, quam jus civile id declarat.

Docet Porro Christus casu supra memorato, adulterium committi: non quod revera tale adulterium committeretur, quod poena capitali expiatum voluit in Republica Israelitarum. Nam tale meo judicio non fuit, ne forte in foro quidem conscientiae: quemadmodum scortatio in foro conscientiae non implicabat verum conjugium, & scortator adulterium non committebat, qui liberam, cujus pudorem imminuebat, non ducens, cum alia conjugium inibat: saltem scortatio cum meretrice & prostibulo tale conjugium post se non trahebat, & dicit tamen Apostolus eum qui scortatur fieri unum corpus cum meretrice, quia omnis legitimus coitus, si primam institutionem spectes, conjugium involvebat, quo duo fiunt una caro: sed vocat adulterium, quia adulteria legibus civilibus Israelitarum ex tali principio, propter quod casus, de quo disputatio est, adulterium vocatur, naturam & vitiositatem suam mutuantur: quemadmodum scortationis vitium non ex alio principio probaveris, quam quia omnis coitus maris cum foemina im-

plicare debet conjugium, & unionem duorum corporum in unum: ita ut Paulus inde rectè argumentetur, scortatorem unum corpus fieri cum scorto. Ita repudia, & quæ ea sequuntur novâ conjugia, non aliter vitii & peccati coarguas quam ex prima institutione conjugii, quæ jubet vinculum illud esse perpetuum, neque solubile nisi per mortem alterutrius partis: quodcunque itaque vinculi istius dirimendi præter casum prædictum causa existit, ex matrimonii natura in vitio esse probatur, & adulterium ideo vocatur. Quemadmodum Christus docet virum, qui ad alterius uxorem animum adjicit; & cogitatione cepit & prefloraverit illegitimi coitus fructum & gaudium, commisisse adulterium: quia illa libidinosa cogitatio, ex natura adulterii vitiositatem suam mutuatur: quod inde manifestum est, quod maritus eadem cogitatione cum legitima uxore absente sese oblectans, intemperans vocandus sit, non autem ne ad scortationem quidem illa cogitatio referri possit.

Dices fortasse hæc bene procedere, quando probavero repudium extra casum adulterii suâ naturâ illicitum esse: atque ita permissionem in hoc casu esse de malo per se, non de eo, quod suâ naturâ bonum est, sed propter vicinitatem cum malo non facile suscipiendum. Respondemus vera hæc esse: sed æstimamus in precedentibus nos ea de matrimonio tradidisse, quæ viam munierunt ad statuendum conjugia indissolubilia esse debere: neque dissolvi posse quam adulterio. Primum docuimus esse contra dignitatem mulieris usuram sui corporis concedere viro, quando pactum matrimoniale non intervenerit; secundò actum venereum homine indignum, quando conjugii dignitate non vindicatur à contemptu & turpitudine. Tertio pactum conjugale involvere perpetuam vitæ societatem; neque illud conjugii dignitatem sustinere posse, quando

do initur animo illud aliquando dissolvendi : aut putatur non requiri ad vitandum scortationis peccatum in coitu , ut cum conjugata exerceatur : & concubinatum licitum esse, quia eo vitatur vaga libido , & cura educandorum liberorum habetur. Nam sive ad breve tempus, sive ad longum spatium vitæ societatem colere cum muliere destines, non fugis scortationis probrum, & mulieris dignitas non desinit violari, quando vir detrectat illam uxoris loco habere: cum distinctio inter uxorem justam & legitimam, & scortum & concubinam omnium gentium menti insedit; ut &, in posteriorum vitæ statu aliquam maculam & turpitudinem harere, cujus mulier merito pudet. Et mihi repudium longius abesse videtur à legibus conjugii, graviorique se hominem crimine obstringere, qui uxori nuncium remittit, quam qui polygamia conjugium violat: quia posterior casus magis tuetur dignitatem mulieris, estque conjugio magis proprium & intrinsecum id quod perpetuam vitæ societatem continet, quam quod tantum inter duos contrahitur: prior casus propius abest à scortatione, & dignitas mulieris eo magis proscinditur, quia longius abest à vero conjugio, ubi casus posterior præcipuas conjugii leges complectitur, quæ est perpetua vitæ societas, & aliqualis coalitio in unum corpus: & ideo vitium scortationis in casu posteriori minus est; cum in priori casu contrarium obtineat, nam ubi directe vinculum non tantum solvitur, sed ne quidem continetur in illo conjugio quod maritus ad arbitrium potest dissolvere. Nam illud non longe à concubinatu distat: & cum tamen omne conjugium perpetuam vitæ societatem contineat; neque jus repudii Judeos ab illa lege absolveret, per jus libelli repudii difficillimo in loco versabantur: nam eo, & conjugii dignitas in illa Republica cadebat à matrimonio, &

tamen per libelli repudii usum sese induebant in peccatum grave; & quod cognationem habebat cum adulterio; quodque peccati arguitur ex eodem capite quo adulterium in vitio & probro ponitur.

Et ad hanc causam & conjecturam revoco, quare nulla proborum virorum exempla in V: T: compareant, qui divortium cum uxore sua fecere, cum tamen multi viri sancti exempla polygamix prodidere. Neque refert Romanos gentem moratam & politioris vitæ, quæque semper magnam speciem gravitatis præ se tulit, repudia & divortia in usu habuisse: quæ tamen non tam temerè illud jus usurpasset, si res vitio non caruisset, aut tam insigni turpitudine affecta fuisset; quia usus & mores gentilium, qui tam in sacris, quam in rebus civilibus apud eos omni ævo obtinere, nobis documento sunt, quam cæcæ sunt hominum mentes, & quam moratissimæ gentes tantum per caliginem viderunt, quò sana, & per Scripturam illuminata ratio, nos duceret. Et extitit gentilium ignorantia præcipuè magna in rebus, quæ dignitatem hominis naturalem & pudorem spectant, cum illorum ratio ab iis excitetur luminibus, quæ in corde impuro facile obtenebrantur: & sicut piium & pudicum ingenium suâ sponte de iis judicat; nihilque efficacius ejus mentem everberat, quam ea quæ contra dignitatem, & pudorem naturalem committuntur; ita ut naturæ sensu ab iis abhorreamus, ita postquam depuditum est, & ita pudor perit, qui redire nescit, difficulter ratio istorum peccatorum se homini prodit: quamvis nunquam extingatur, aut radicitus evellatur: gentesque ferme semper inexcusabiles sint; quia potuissent ex natura pudoris, quæ animi passio est notissima, pervenire ad cognitionem eorum, quæ Christiana religio de pudore & pudicitia, & legibus matrimonii tradit. Et mihi semper optimum inter alia vi-

sum

sum est argumentum pro veritate Christianæ religionis; & auctoritate Scripturæ, id quod de prima institutione conjugii habemus, & quæ à Christo & Apostolis de eo traduntur; quibus prima conjugii jura confirmantur, cujus semina sparsa in omnium gentium animis propterea videmus; quæ tamen per gentium malitiam non potuerunt sobolescere in bonam frugem, & quæ tamen Christus & Apostoli viventes in medio hominum corruptorum, à quibus per disciplinam ea haurire non potuerunt, ita in aperto posuerunt, ut etiam flagitiosorum hominum conscientia, tantillum excitata, pulchritudinem & majorem sanctitatem in iis agnoscat, quam quæ moratiorum gentium consuetudines & leges expresserunt. Et quamvis ea est sæculi pravitas, ut etiam in medio Christianismo id operæ quidam dent, ut notiones & signa honoris & pudoris naturalis ex hominum mente delere possint; & pudoris vacuitatem in laudem convertant, quasi pudor tantum in imbecillitate esset, & tantum malum opinionis non naturæ: ut ita obscæniissima sine probro & turpi nota inter homines perpetrare possint, nunquam tamen eousque sibi imperare hocque à se impetrare potuerunt, ut vim pudoris naturalis non amplius in se experirentur: & ideo illorum peccata, ignorantia excusationem non admittunt. Ut vel inde manifestum sit leges Christianorum de matrimonio esse secundum naturam, non ex more & consuetudine: neque rogationibus atque plebiscitis sancta esse ejus præcepta.

Ex hisce jam liquet quam longe aberrant illi, qui repudia etiam inter Christianos non putant interdicta, sed ea, cum usus postulat, reduci posse in nostris Rebus publicis. Argumentorum, quæ supra attulimus, facilis est depulsio. Nam quantum ad incommoda, quibus obnoxius maritus redditur, quando uxor ita corruptis est moribus, ut vix hora à li-  
tibus

tibus vacua esse possit, & quæ his similia supra in eam rem dicta sunt. Non video in hoc sermone aliquam vim. Infinitæ sunt res, creatæ in hominis usum, quas peccatum convertit in ejus damnum. Omnes nostri appetitus & animæ commotiones utiliter à natura animis nostris datæ sunt, & ex prima destinatione auctoris naturæ, hominis bono & commodo cedere debebant, quæ tamen propter peccatum multis hominibus exitio sunt: Et si tales affectus hominum studio, cura & opera in ordinem cogi possunt, & inde parari virtutis materia, etiam marito, cui obligit uxor vita & moribus turpis, aut minus probata, spes est, eam convertendi ad bonam frugem, si obduret aliquandiu, & exemplis atque institutis illi rectam monstrat viam: & si in cassum laboret; & uxoris mores minentur familiæ ruinam, legibus civilibus contra tales cautum est. Cæterum hominis Christiani, cujus tota vita nihil esse debet quam perpetua secta tolerantia, quæque ferme duplici cardine charitatis & patientiæ vertitur, officium erit constanter adversa ferre; & cum uxoris mores eum non cogant in se aliquid turpe committere, quod vir probus tantum præstare tenetur, æquo ferat animo, quod vitare non potest: & cedit tandem virtuti dolor; & animi inductione languescet; atque ita eo vitæ instituto Deo probatus, totum hoc domesticum malum ad salutem convertet. Quod attinet ad exempla repudii jussu Dei facta &c. Respondemus conjugia Judæorum cum alienigena; & aliena à fide semper Judæis fuisse interdicta: atque ita conjugium cum illis contractum ipso jure fuisse nullum; & ita non tam divortium factum fuit cum fœminis alienigenis, quam declaratum & pronunciatum conjugium nunquam factum fuisse, quia ut dixi, vetitum erat Judæis quicquam hujusmodi rei cum alienigenis esse. Atque ita quod in

Esra



Efræ factum legitur ab inclementia & injustitia vindicatur: neque trahi potest in exemplum: præsertim non à Christianis. Quæcunque autem legitima & justa uxor desceverat à vero cultu, capitalis noxæ rea erat; & ideo aut morte plectebatur: aut quando lex illa propter collapsum Reipublicæ statum non amplius tenebat, tunc forte maritus usus est libello repudii: quod jus cum Christianis interdicitum esse tueor, non possunt adversarii hisce exemplis pugnare; uterentur enim rationibus, quæ ipsam controversiam continent, & de qua inter partes contenditur. Sed quid refert hæc fusius tractare, cum in Euangelio hæc lis expressè & dilucidè decisa sit, 1 Cor. 7. diserte Apostolus jubet, ne fidelis ab infideli propter sacrorum diversitatem se separet si infidelis consentiat ad habitandum. Id libertatis tantum concedens parti fideli, ut, quod si pars infidelis recuset colere vitæ consuetudinem cum parte fideli, & conjugatim cum illa vivere, tunc fideli liberum sit, & ad conscientiam licitum, scorsim habitare, nec teneatur ita appetere cohabitationem, ut per prodicionem veritatis, & ejurationem fidei Christianæ, quo primis conjugii legibus parere & satisfacere possit (quæ vitæ societatem conjugatis injungunt; & quæ vitæ societas mensæ & thori communicatione vulgò continetur) illam cohabitationem quærere debeat: sed docet Apostolus tali in casu partem fidelem isti servituti non esse subjectam, ut aut veritati valedicat, quo infidelis in gratiam secum redeat, aut quod nunquam possit dispensari à cohabitatione cum infideli contumaciter se gerente, quamvis omnibus officiis pars fidelis infidelem complexus & sectatus fuerit. Quæ certe longè distant à jure repudiandi infidelis. Agnosco alioquin aliquid præsidii positum adversariis in illa sententia, quæ tuetur malitiosam desertionem esse veram causam

T

dissol-

dissolvendi conjugii, quia mihi nullum est dubium, quin multi alii casus aequè graves, imo multo graviores desertione malitiosa, incidere possiant, quibus alterutri conjugum jus nasceretur dissolvendi conjugii: parium enim rationum & causarum pares debebant esse effectus. Et à nobis dissentientibus incumberet probatio, quare malitiosæ desertionis tanta sit vis & efficacia, ut per eam pars deserta libera constituatur à vinculo conjugali. Quod nunquam sunt facturi. Et mihi nullum est dubium, quin multorum conjugum miserior est conditio eorum, qui deserti vivunt; multosque meritò expectere aetatem desertos & viduos vivere, quam unum annum agere vitam cum conjugè perditis moribus & profligatæ vitæ. Sed redeo ad institutum, & persequor solutionem reliquarum objectionum.

Quod autem mulier non tam sibi nata dicitur, quam ut virum adjuvet; quemadmodum Christus docet Sabbatum propter hominem esse: hoc in casu adversarii componunt & jungunt quæ diversissima sunt. Nunquam faciendum malum ut eo aliquid boni adipiscamur: pacis obtinendæ causa proximi jus lædere aut imminuere: uxorem fraudare suo jure: seipsum vinculo conjugii solvere, quo est devinctus, quando ipsi non bene convenit cum uxore, tantundem est, ac si quispiam, ut se liberet à vicino, cui ædes suas locavit quoad viveret, & ut cum migrare cogat ex vicinia, ita corrumpi aut disturbari eas curet, ut amplius habitando non sint; atque ita conductorem intervertat. Maritus ostendit se jus suum cognoscere; & quid contineat dictum illud: mulierem sibi datam in adjumentum; seque caput mulieris esse, quando vult sua jussa & consilia valere: illam ex suo more vivere: se à muliere comiter observari, cavet ne mulieri obnoxius vivat; & quando usus venit, mulieris opera in tuendo suo jure utitur.

Neque

Neque majoris ponderis est argumentum ductum à pænis, aut longo itinere, quibus contingit maritum ab uxore in longum tempus; & nonnunquam in perpetuum separari, & pariter uxorem non habere potestatem præsentis mariti. Quod enim pœnam perpetuæ incarcerationis spectat, facile quis intelligit per legem conjugalem Magistratui facultatem non ademptam persequendi sui juris: quamvis ex usu juris iustius proximus impediatur in usu juris sui. Si hæc ratio non constaret, vix unquam nobis esset potestas fruendi nostris. Licet Magistratui maritum propter flagitium commissum capite mulctare, quamvis per illam pœnam uxor marito privetur, & liberi parentibus orbentur. Hisce in casibus innoxia pars constanti animo debet ferre suam sortem; & precibus apud Deum, & vitæ instituto niti ad donum continentiæ: nec dubito quin Deus illum damnaturus sit voti, qui contente debitis mediis illud donum persequitur.

Ad longas illas peregrinationes quod attinet, mihi non est dubium quin sæpe illæ suscipiantur temerè, & cum summa uxoris injuria, contraque officia, quæ maritus uxori debet. Attamen quandoquidem tali in casu utraque pars vinculi conjugalis reverentia ita tenetur, ut mutuam fidem inter se servent; neque etiam inter gentes apud quas repudia in usu & consuetudine sunt, ideo divortia fieri soleant; inde evincitur omnibus insitam quandam cognitionem & tacitum sensum dignitatis & perpetuitatis conjugii. Me non fugit alia adhuc argumenta produci à libelli repudii patronis, sed quæ ego talia esse existimo, ut refutatione non indigeant: cum ex iis, quæ jam à nobis in toto hoc sermone probata sunt, eorum infirmitas facile æstimari possit. Interea fateor supra memoratis casibus non videri prospectum incontinentiæ amborum aut alterutrius conjugum, qui tanto spa-

tio temporis mutuis officiis carentes, frui non possunt sine conjugii; & ita destituuntur remedio à Deo ordinato ad illicitas & inconcessas animi commotiones domandas. Sed hoc incommodum, per peccatum homines urgens, non potest aut debet subvertere leges naturales conjugii, quæ fundatæ sunt in hominis dignitate naturali, quæ (constitutâ humanâ naturâ) ab homine non magis abesse aut tolli potest quam recta ratio in rectis pravisque fanciendis; & à qua omnes leges naturales humanæ manant. Ex supradictis enim manifestum est, leges conjugii in paradiso promulgatas homini ita naturales esse, sicut virtutes V: G: temperantiæ, modestiæ, humanitatis; &c: & non minus ab hominis natura alienum esse, extra conjugii leges muliere frui, quam gulæ & ventri indulgere, & vino obruere ingenium. Neque conjuges, qui convictu & vitæ societate carere tenentur, non ita privati sunt incontinentiæ remedio, quin bona spes eorum animos habere debet, se carnis aculeos superaturos, si ad preces & jejunia, sine quibus hoc genus diabolorum non ejicitur, confugiant.

## F I N I S.

Vitia Typographica quæ sensum corrumpunt  
& Lectorem morari possunt.

p. 9 eorum / eorum; illas / illa. p. 11. tegi & imminui potest / non ita tegi & imminui potest. p. 21. nempe omnium ferme femina, lege, statuo nempe *ibidem* in ipso reperiri / in ipsâ gentibus reperiri. p. 37. quemadmodum recta & naturalis ratio. / primæva recta, &c. *ibidem* illa ratione recta. / primæva illa ratione. p. 57. & p. 59 se alteram. / se alterum. p. 69. corrumpendum. / corrumpendam p. 106. Math. 9. lege Math. 19. p. 117. jure. / jura *ibidem* jura. / jure. p. 135. non minus, / non magis.







GEDRIC CHRYMUS 1998

